Resolutio

Communicetur hoc Petitum Jurisdictioni Dominicali Ulanoviensi: cum mandato, quatenus super hoc Petito delegandi Judicis contrapartem videlicet Incolas Ulanovienses Petnerowicz, Dąbrowski, Pryszcha, Kurytowicz, et Kosciolek in Petito specificatos ad Prothocollum percipiat, atq declarationem cum sua opinione intra 14. dies submittat.

Decretum in Consilio Caesar: Regi: Gal: Origen: et Lodom: Apel: Tribunalis Leopoli 8. Augusti 1797. Joannes Antonius Lukiewicz

Obsequentissimus
Rochus Pieszczenski mp.

Dubl.
6528.
6124.

DOCUMENTA

AD

CAUSAS DECIMALES

IN POLONIA

Si non sunt validæ dotes & Privilegia Majorum & Antecessorum Nostrorum Ecclesiis collata, cujus erunt firmitatis illa, aliis Ordinibus, sub paribus Signis, pari atramento & pelle concessa?

SIGISMUNDUS I. ad Consiliarios Prussiæ. Legum Polonarum Vol: 1. Fol: 484.

Opus impressum Cracoviæ in Lingua vernacula 1779, nunc verò in Latina luci publicæ datum.

CRACOVIÆ

TYPIS UNIVERSITATIS

ANNO M. DCC. XCVIII.

Editiones Polonicæ hujus Operis prodierunt anonymè, aſt omnibus exploratum erat Authorem ejus fuiſse Illuſtriſsimum & Reverendiſsimum Dominum JOSEPHUM OLECHOWSKI Episcopum Uranopolitanum, Suffraganeum & Archidiaconum Cathedralem Cracoviensem, protunc regimen Diæcesis Cracoviensis Adminiſtrantem.

Versio autem præsens Latina debetur labori Perilluſtris & Reverendiſsimi Domini M. JOSEPHI SZABEL Sacræ Theologiæ Doctoris, Canonici Cathedralis Cracoviensis, Profeſsoris Emeriti in Universitate Cracoviensi, ac ejusdem per plures annos Rectoris.

PRAEFATIO

Editoris hujus Latinæ Versionis.

Ex concordi Judicum & Advocatorum Poloniæ sensu constat, opellam præsentem, statim ac in lucem prodiit cum aviditate exceptam fuiſse, atque cùm ejus exemplaria Cracoviæ Anno 1779. impreſsa cupidè juxta ac festinanter distracta fuiſsent, extemplò alteram editionem in Typis Caliſsiensibus nacta erat, enimverò communem favore sui opinionem obtinuit, quod in compendiosa brevitate complectatur omne id, quidquid ad accuratas notitias de Decimis ac simul de priscis Poloniæ monetis referri poſsit. Complures equidem antehac editi fuere Tractatus de Decimis, verùm cùm horum nonnulli inniti videbantur in solis Veteris Testamenti Libris, alii in placitis Canonum Ecclesiasticorum, vel demum in effatis Docto-

rum Ecclesiæ, nequiverunt assequi semper intentum per Authores suos scopum apud eos Judices Poloniæ, qui Sententias suas strictè ad Leges Regni scriptas conformare tenebantur. Cùm id Author Opellæ præsentis longiori Regiminis Ecclesiastici experientia instructus opportunè animadvertisset, induxit in animum aliud genus argumentorum Statui Ecclesiastico ad Causas Decimales suppeditare, videlicet non jam ex Lege Mosaica, non ex Gratiano vel Decretalibus, aut Patrum Ecclesiæ exhortationibus, verùm ex Historia & Legibus propriæ Gentis. Eventus probavit modum hunc in Causis Decimarum tuendis persæpe faustè successisse. Videbatur quoque esse operæ pretium exponere Publico veras Notiones de Libris Beneficiorum, quod etiam Author præstitit. Porro tametsi in materia antiquarum Poloniæ Monetarum bene multi Libelli & dissertationes lucem olim aspexerint, quia tamen promiscuè de his aliorum quoque Regnorum tractationem contexuerunt, arbitratus est Author rem se perutilem facturum, si Notitias de solis

lis

lis tantùm genuinis Polonicis Monetis chronologicè descriptas una cum Decretis æstimationis earum ob oculos legentium poneret. Initiò equidem altera duntaxat operis hujus pars Cracoviæ Anno 1779 in publicum emissa fuit, auspicando ab epocha Anni 1635 quo in Comitiis Poloniæ Compositiones super Decimis stipulandæ sancitæ erant, ast deinceps Author sine completioris de Decimis Tractatûs, partem quæ nunc prior est, elucubravit, quæ Leopoli Anno 1784 separatim impressa fuit, verùm in tam paucis exemplaribus, ut vix nota extiterit. Multi prudentia ac eruditione præstantes Viri censuerunt, quod versio in Latinum hujus Tractatus utilis modò evaderet, dum aliqui Judicum & Advocatorum Officiò fungentes nondum perfectè calleant Linguam Polonicam. Horum igitur commodis consulendo suscepta est cogitatio de præsenti Latina editione, ac consentaneum visum est partem utramque eo in illa collocare ordine, quo secum mutua relatione sociantur. Siquidem modò Polonia immutato anteriori suo Statu novis Legibus gubernatur,

natur,

natur, idcirco in evulganda hac Latina traductione multæ deliberationis res erat, num in toto suo primitivo contextu, prout vernaculè prodiit edenda esset? an verò prætermitti deberent penitus, quæ conformiter ad Leges & formam procedendi olim in Judiciis Poloniæ observatam expressa leguntur? Ast consulti in eo Viri eruditi & prudentes svaserunt ita Latinà emittendam, ac Polonicè concepta fuerat, permoti hac ratione: quod tametsi diversæ omninò ad præsens sint Processûs Judiciarii regulæ, quia tamen antiquiores Causæ frequenter ad moderna Judicia deferuntur, in quibus tam ad Leges anteriores, quàm ad formam procedendi antehac usitatam animadvertere fit necesse, eapropter non inutile fore, si omnia, quæ vernaculam lucubrationem componebant, in Latina versione relinquantur. Demum, si aliqua reflexio Authoris minùs accommodata præsenti tempori esse videretur, velit meminisse Lector, opus hoc ante Annos ferè viginti vigente Regimine Polonico conscriptum fuisse.

PRAEFATIO

Authoris.

Quicunque opiniones hominum accuratè perpendere solet, quotidie fere experitur, easdem sæpenumero errori obnoxias esse, ex ratione non habitæ priùs notitiæ verorum fontium ac originis materiæ illius, de qua fit sermo aut controversia in familiari consessu, quinimo non rarò etiam in contentionibus judiciariis. Huic sorti cum multis aliis subjacet materia Decimarum in Polonia. Quanta enim diversitas opinionum de illarum origine, de jure petendi & reddendi easdem, de modo faciendæ super iis compositionis sive concordiæ! Scopus itaque præsentis Opellæ est, colligere breviter ex historia Gentis nostræ Legibusque Regni eas omnes notitias, quæ solidam quarumvis circumstantia-

tiarum ad materiam Decimarum spectantium cognitionem oculis Legentium subjiciant. Tota hæc Collectio duabûs partibûs constabit. Prima complectetur ea omnia, quæcunque à primordiis introductæ in Poloniam Sacrosanctæ Fidei per aliquot sæcula reperiuntur in Historia & Legibus nostris respectu Decimarum usque ad tempus prætensæ & demandatæ respectu illarum compositionis, videlicet ad Annum 1635. Altera Leges super compositionibus ab Anno 1635. nec non posteriùs de Foro & compositionibus earum usque ad tempora nostra prolatas, simulque notitiam de Libris Beneficiorum, atque ex occasione Decimarum pecuniariarum brevem descriptionem antiquarum monetarum in Polonia exponet.

PARS PRIMA.

De origine Decimarum in Polonia, & quanam Potestate Spiritualibus attributæ sint? Per quem inter Beneficia & Ecclesias divisæ? De qualibus agris? & de quibus frumenti speciebus debeantur? Ex agris de novo exstirpatis, villisque recenter erectis ad quem pertineant?

§. I.

Origo Decimarum in Polonia eandem epocham habet cum introducta in illam Sacrosancta Fide, videlicet Annum circiter 965. Attribuit eas statim pleno jure Episcopis primus regnantium Orthodoxus *Miecislaus.* Attributio hæc præcedit aliquot sæculis Collectionem Legum nostrarum scriptarum, quam modoprimùm sub *Casimiro M.* videlicet ab Anno 1347. legimus. = *Miecislaus* (verba sunt celeberrimi Historici nostri *Martini Cromeri* Libro 3.) *Miecislaus totum se ad propagandam per*

omnem

omnem Principatum suum Religionem convertit, Basilicas novem diversis locis ædificat, easque supellectili omnis generis pretiosa ornat, Censibus, & Posseſsionibus locupletat, & in Diœceses distributas singulis Episcopis attribuit, iisque Decimas omnis generis frugum de suis juxta ac Nobilitatis plebisque Agris, edictô perpetuo adscribit, ita quidem, ut eæ Decimæ post Meſsem ab iis qui dant, ad constitutum locum comportentur. Additi sunt & inferiores Sacerdotes, qui partim Socii & Consiliarii, partim Administri eſsent Episcoporum, quos vulgò Prælatos, & Canonicos & Plebanos sive Parochos dicimus, quibus etiam poſseſsiones à Principe, & locupletiores quibusque, ac certæ Decimæ ab Episcopis attributæ sunt. =

Perspectum habentibus primitivum Patriæ suæ ſtatum sufficienter notum eſt, quòd illatum in Poloniam Fidei lumen repererit speciem sive formam regiminis pleniſsimè Monarchici. Voluntas solius tunc temporis Monarchæ integræ Regioni, singulisque eandem inhabitantibus sine ulla differentia Jus unicum ac supremum erat. = *Fundato Principatu Lechus* (inquit memoratus Cromerus) *partim Gnesnæ manendo, partim obeundo Regnum; jus dabat populo, non ex præscripto Legum, quæ nullæ erant, sed ex arbitrio suo. Principi tunc cuncti seminabant, & metebant, atqué*

deque omnium rerum proventu fructibus ipsi Vectigal pendebant. =

Talis poteſtas Monarchici regiminis è dominantibus antecedenter Monarchis in *Miecislaum* transfusa, longo poſtea tempore in Succeſsoribus ejus jam Chriſtiana Religione illuminatis, quinimo etiam longè poſteriùs in Jagellonibus Leges & sancita universæ Regioni juxta velle & arbitrium Monarchæ promulgabat, quod teſtantur Statuta jam in Collectione Legum scriptarum comprehensa, in multis admodum foliis Vol: I.

Hæc notitia satìs superque evincit, Decimas ab initio attributas eſse Episcopis per supremam nationis Poteſtatem, nam edictô Monarchæ, qui, cùm vigore altiſsimi Dominii poſset nationi Bonisqué in ea consiſtentibus onera & obligationes juxta suum arbitrium imponere, atque debitas sibi à subditis Dationes, juxta beneplacitum, juſtiſsimè autem juxta neceſsitatem Gentis diſponere; Decimas Spiritualibus, tanquam partem, jam reddituum suorum, jam Dationum Monarchico suo regimini è Bonis per Subditos mediante Ejusdem conceſsione poſseſsis subjectam atque debitam; perpetuis temporibûs attribuit. Omnia generaliter Dominii sui Bona, & agros, tam pro thesauro Regio conseminari solitos, quàm etiam particularibus incolis

colis illo tempore cum conditione certarum dationum ad seminandum concessos, semetipsum ad extremum, Dignitatem suam supremam, Successores Monarchas, & singulos sceptro suo subditos, agros tunc temporis seminantes & postmodùm vigore qualiscunque juris seminaturos, sine differentia ad extraditionem earumdem Decimarum obstrinxit.

Substantialis fuit necessitas Gentis, necessitas ùt hodie appellamus *Statûs*, eaq; inevitabilis ac manifesta, post susceptam & plantatam in his Regionibus Fidem, providere perpetuum & stabilem fundum ministris Religionis & Ecclesiæ. Jus naturæ, necessitas stabiliendæ Fidei in Regno semel susceptæ, atque vincula societatis nationalis exigebant, quatenus ii, qui se in obsequium Gentis & Conterrigenarum perpetuo Statu consecrârunt; fundum & mercedem quæ similiter perpetuò & constanter durare possit, à suprema Potestate provisam & securitate firmatam haberent. Electio speciei proventuum, in quibus præfatus perpetuus Spiritualium fundus consisteret; dependebat ab arbitrio supremæ Potestatis. Liberum illi fuit eundem super solis Bonis, super solis parata pecuniâ dationibus, sive alterius generis redditibus securum constituere: ast quoniam tunc temporis jam in omnibus aliis Regnis

Regnis priùs Orthodoxa Fide illuminatis, conformiter exemplis & effatis in Scriptura Sacra exaratis; Decimæ Spiritualibus assignatæ erant, hocce medium amplexus est *Miecislaus*, & similiter Decimas ex omnibus Bonis supremæ suæ Monarchicæ dispositioni subjectis (prout jam supra dictum est) in perpetuum Spiritualium fundum assignavit & attribuit.

Non adest necessitas describendi hoc loco in quali gradu subjectionis respectu Sceptri tempore Monarchici Dominii posita existebant Bona, quæ hodie terrestria appellantur; mensuram etenim illius non solùm sufficienter exprimit consideratio Monarchiæ nullis Legibûs circumscriptæ, sed sola duntaxat Dominantis voluntate administratæ, ast etiam satis clarè demonstrat Historia nostra in illorum sæculorum exemplis, quòd potestas suprema Monarchæ distribuebat illa juxta suum placitum, conferebat & recipiebat, dationes, nunc has, nunc alias, onera & officia graviora aut leviora, honestiora aut viliora Possessoribus eorumdem imponebat.

Chronicon *Vladislai* secundi, Uxorisque illius *Christinæ Henrici* Imperatoris Filiæ asservavit memoriam variarum specierum ejusmodi officiorum, quod videri potest apud

apud *Cromerum Libro 6*, ac penes quod satìs erit innuere tantùm de *Boleslao Pudico*, quantumvis propter virtutes privatæ vitæ in Annalibus noſtris celebrato = *Onerosus erat Nobilitati propter crebras venationes, eò quòd & canes Principis alere, & equos atque subvectiones ipsi præbere, omnibus passim, quocunque iter faciebat, necesse erat.* = apud eundem Lib: 9. Modoprimùm sub Anno 1422 Vol: I. fol: 83. legi poteſt in collectione Legum noſtrarum hæc promiſsio à Vladislao Jagellone Incolis facta = *Exnunc, & de cætero, nunquam alicujus Subditi Regni nostri cujuscunque Dignitatis, Eminentiæ, Status, aut gradus fuerit, Bona hæreditaria recipiemus, confiscabimus &c. nisi priùs super hoc Noſtrorum, quos deputaverimus, Judicum Sententia sequatur* = Admodum autem diu Bona Terreſtria, præter obligationem servitii bellici semper cum illis ſtrictiſsimè cohærentis; dationibus propter Monarcham multiplicibusque officiis subjecta erant. Ad tempora *Ludovici* solvebant de quolibet laneo duodecem groſsos argenteos illius sæculi, & modium siliginis, totidemque avenæ.

Modoprimùm dum *Ludovicus* voluit certiorem facere Dominatum in Polonia propter unam è Filiabus suis, ejusmodi dationes diminuit. = *Ludovicus eò rem deduxit, ut si alterutra de Filiabûs suis apud Polonos regnaret, binos tantùm groſsos in jugera penderent, ab reliquis pensionibus & oneribus, quæ Regibus, ac Ducibus antiquitùs debebantur, cuncta Nobilitas immunitatem haberet.* = *Cromerus Lib: 13.* Quæ res pleniùs descripta videri poteſt in Privilegio *Ludovici*, quod reperitur Vol: 1. fol: 55. 56. &c. Hoc modo diminuta solutio de quolibet laneo quàm diu poſtmodùm super Bonis terreſtribus hærebat, docere poſsunt complura folia collectionis Legum noſtrarum Vol: 1. & 2. ac etiam de eo convincere, quòd poſt diminutionem dictarum dationum Terris Poloniæ à *Ludovico* factam, aliæ nihilominùs Terræ, videlicet: *Ruſsiæ, Podoliæ, Cujaviæ, Dobriniæ* satìs longo poſtea tempore sub obligatione similium quinimo majorum dationum exiſtebant. Promiſsionem tantùm liberandi easdem fecit *Vladislaus Jagello* Anno 1433. Vol. 1. fol. 93. 94. = *Omnes Terras Regni nostri etiam Ruſsiæ, salvìs tamen Avenæ Contributionibûs (de quibus nobis ad tempora vitæ nostræ sola Ruſsia respondebit) ad unam Legem reducemus. Item omnes Incolæ Terrarum Cujaviensis, & Dobrzynensis, de Avena solita quam Nobis solvere cosueverunt, ad decem Annos duntaxat Nobis reſpondere, sint adstricti* = Propter sufficientiorem verò rei enucleationem aſferri hoc loco

poteſt

potest, quod in hac materia scripsit Cromerus Lib: 21. dominante minorenni Rege Vladislao Jagellonida. = *Russica, & Podolica Nobilitas cum Polonica omni jure exæquata est à novo Rege, non sine murmure multorum, qui remitti illa quoque Russis ægrè ferebant, quòd necesse eis fuerat antiquitus quandocunque & quocunque Rex jusserat, sine ullo stipendio ad bellum proficisci, ad Arces muniendas & reficiendas operas mittere, de quolibet jugero culto, duos Avenæ, totidemque Siliginis modios, & quaternos grossos quotannis Regi pendere. Verùm illud maximè permovit Regem, quòd à Patre suo illam exæquationem promissam eis esse constabat.* =

Quicunque scit, vel audivit, quòd Bona multarum Abbatiarum, Præpositurarum, Monasteriorum usque ad hodiernam diem Magnæ Procurationi mensæ Regiæ, aut Capitaneis frumenta in mensura determinata reddunt, simulque officiis laborum satisfaciunt, videlicet aratrô laborant, agros colunt, seminant, metunt &c. &c. potest ex his residuis obligationibus mensuram sumere subjectionis antiquioris Bonorum terrestrium respectu Sceptri. Cùm Nobiles terrigenæ prævio consensu Monarchæ fundationes Monasteriorum de Bonis tunc temporis per se possessis facerent, non semper sive ipsi, sive Monasteria

steria poterant impetrare à Majestate immunitatem ab officiis, quæ iisdem Bonis annexa erant, propterea, quomodo aliquibus Monasteriis collata sunt, ita adhuc existunt cum vestigiis Monarchici regiminis satis insignibus, quæ quasi ad informandam posteritatem adusque præseferunt, licèt postmodùm prospero temporis circumstantiarum concursu omnia alia terrestria Bona de gratia Monarcharum à memoratis dationibus, laborumque oneribus immunitatem obtinuerunt. Appellationes tantùm illorum variæ legi possunt, jam in Privilegiis duodecimo sæculô & posteriùs collatis ejusmodi = rastralia, ducturæ, stationes, excubiæ, subvectiones, tributum, telonium, foralia, vectigal, pascualia, annonæ, vaccæ, porci, oves, nunciorum, Legatorum, Ducum venatorumque receptio, pontium & aggerum structura mellificia, &c. &c. = jam quoque in collectione Legum nostrarum, v. g. in Privilegio *Vladislai Jagellonis* Vol. 1. fol. 91. 92. sequentes = solutiones, contributiones, exactiones, vecturæ, labores, equitaturæ, angariæ, gravamina, frumentorum dationes &c. ac his similia in multis aliis locis Vol: I. & 2.

Lectio & consideratio Historiæ Gentis sufficiens erit meliori & vividiori colore subjicere oculis designatam hìc per accidens primis tantùm lineamentîs ideam primitivæ

in

in Polonia potestatis Monarchicæ, qua attributæ à *Miecislao* Decimæ, quatenus Spiritualibus sine quovis impedimento & dispendio redderentur, subsequentibus postea sæculis admodùm diligenter Suprema Potestas animadvertebat. Dum successu temporis placebat Monarchis liberaliùs & frequentiùs Bona ac dignitates conferre subditis suis Heroica dexteritate commendatis, illi autem sub prætextu obtentorum Domini respectuum exhibebant se in reddendis decimis aut segnes aut minus reales, protinus dominantes Monarchæ omnes prætextus à quocunque ad injuriandas Decimas excogitatos novis sancitis tollebant, atque ad realem earumdem extraditionem ac convectionem severis etiam pænis compellebant. Rei istius exempla legi possunt in historiis Gentis, ac præcipuè in *Cromero* & *Dlugossio*. Si verò quispiam curiosus est invenire similia non jam in Historicis, sed in Collectione Legum nostrarum, videbit Vol: 1. fol: 95. 96. 97. Edictum *Casimiri M.* quo arbitramentum Jaroslai Archiepiscopi Gnesnensis promulgat, ac executioni demandat his verbis = *Cupientes, ut Subditi Nostri, in Regno Nostro degentes, cujuscunque Status conditionis existant, honestè vivant, alter alterum non lædat, & jus unicuique tribuatur &c. Pro raptu Decimæ Prædialis, raptor monitione præmissa excommu-*

nicetur &c. Videbit ulteriùs fol. 193. 194. rigorosum Decretum in Statuto *Vladislai Jagellonis* Anno 1433. Cracoviæ prolatum in verbis breviter hic ex amplo contextu descriptis = *Noscat igitur tam præsens ætas quàm posteritas futurorum, quod quicunque Princeps, Capitaneus, Baro aut Nobilis Miles, aut Vasallus, & generaliter quævis Persona cujuscunque Status, Dignitatis, gradus & conditionis existat, Decimas quas sibi DEUS in signum universalis dominii pro alimento servientium reddi censuit &c. rapuerit, occupaverit, detinuerit, &c. cum Complicibus pænis & Censuris Ecclesiasticis debeat subjacere. Quia nonnullorum invaluerit iniquitas, quòd pænas & Censuras ultra Annum sustinere non formidant, Nos igitur* Vladislaus *Prædecessorum nostrorum exemplô, tanquam Tutor & Conservator jurium, libertatum, & Privilegiorum in Ecclesia, Personarumque sibi subjectarum, ad executionem Statutorum procedere cupientes, cùm frustra conderentur Leges, nisi executioni debitæ demandentur. Ex quo etiam quos timor Dei & mucro Spiritualis à malo non coërcent, pæna temporalis debeat coërcere, præsenti nostro Decreto Regio decernimus, & firmissimè ac irrefragabiliter perpetuò observari statuimus & ordinamus, ut dum aliquis Indigena Regni Nostri cujuscunque Status & conditionis existat, pro-*

pter

pter raptum Decimarum &c: Sententiâ Excommunicationis fuerit innodatus, ipsamque ultra Annum legalem sustinuerit &c. extunc *Anno elapso omnia Bona ejusdem Excommunicati mobilia & immobilia, quæ tunc possederit, debent recipi per Locorum Capitaneos, & apprehendi tenenda, quousque de iisdem Bonis damna & valor injuriam passis plenariè exolvantur. Quibus solutis, Bona prælibata præfatis Excommunicatis nonnisi absolutis decernimus restituenda per Capitaneos prænotatos* = & iterum in proximis statim foliis 195. 196. videbit Decretum Casimiri Jagellonidæ observantiam Paterni statuti seriò præcipiens in Comitiis Petricoviensibus Anno 1458. promulgatum his verbis = *Omnibus Regni Nostri Capitaneis mandamus, quatenus prædictas Nostri Progenitoris Statuti Literas in omnibus punctis teneant & ad ungvem perpetuò & inviolabiliter observent. Quodsi Capitanei in præmissorum executione se remissos, aut quomodocunque difficiles reddiderint, extunc ipsos Excommunicationum Sententiis in eos per Locorum Ordinarios, eorumque Officiales fulminandis subdimus, & subjicimus, ac subjacere obligamus tam diu, quousque ad executionem curaverint procedere cum effectu.* = Videbit in eodem Vol: 1. fol: 546. Constitutionem *Sigismundi I.* inter Constitutiones Terrarum Prussiæ in Comitiis Thorunensibus Anno 1538. scriptam = *Mandamus insuper, & ita omnino habere volumus, ut Palatini Debitores Decimarum, Aratralium, & quorumvis Ecclesiasticorum proventuum, Censuras contumaciter sustinentes ad hujusmodi debitorum solutionem remediis opportunis compellant, ne Ecclesiastici proventibûs suis fraudentur* = Plura adhuc ex eodem Volumine primo, sive alia appellatione utendo; ex Statuto, afferri possent Decreta extraditionem Decimarum exactissimam, Forumque judicandi Causas earum præcaventia, sed his curioso cuique in ipso fonte ad legendum relictis; nullatenus tamen silentiô præteriri potest virili eloquentia solidisque argumentis plena *Sigismundi I.* admonitio Terris Prussiæ tunc temporis doctrinâ Lutheri & Calvini imbutis, (quam ibidem Monarcha tritas Apostatarum cantilenas denominat) data, Vol. 1. fol. 483. 484. tali verborum serie hic aliquantulum abbreviata = *Duplex idque ingens peccatum adversus Divinas & humanas Leges committitis, alterum non reddendo proximo suo, atque adeò Pastori, quæ sua sunt, alterum Literis & Decretis Principis sui non parendo. Si per Legem Gratiæ liber est populus à solvendis Decimis, quæ Ministris Dei debentur, eadem Lege liber erit à solvendis tributis, quæ aliis Ordinibus & potestatibus debentur. Nam Lege gratiæ omnes pari-*

pariter Christiani in unam libertatem sunt asciti. Si ob hoc, quòd sublatum est Sacerdotium Judæorum non plus habeant Sacerdotii Christiani Sacerdotes, quàm id quòd commune est omnibus, neque illis suos proventus deberi, pari ratione abolito Regno Judæorum, Christiani non plus erunt Reges, quàm cæteri Christiani, nam per Legem gratiæ omnes ex æquo Regale Sacerdotium esse censentur. Quodsi Christiani Principes Decimas & proventus Successoribus Apostolorum non rectè contulerunt, minùs rectè Apostolis ipsis primi illi Christiani pretia Bonorum suorum omnium conferebant. Si nefas est Pontificem ob non redditas Decimas populum excommunicare, majus erit nefas quòd Apostoli ob negatam pecuniam Ecclesiæ dicatam, utraque morte condemnabant. Si non pendendum est Pastori, nisi pascat, & doceat, non pendendus erit etiam à plebe suus Census Ordini seu Statui Militari, nisi militet, & populum Dei tueatur. Si denique non sunt validæ dotes, & Privilegia Majorum, & Antecessorum nostrorum Ecclesiis collata, cujus erunt firmitatis illa aliis Ordinibus, sub paribus signis, pari atramento & pelle concessa? Atque hæ sunt illæ Evangelicæ rationes, quæ nunc Orbem Terrarum seditionibus, tumultibus, perjuriis, & Sacrilegiis implent. Gravi igitur, & molestissimo animo ferimus, quòd adversus Decretum Nostrum tales Literas, talibus impiis dogmatibus consutas miseritis, quæ non solùm indigna sunt Auribus Nostris, & ab universa Ecclesia Catholica damnata, sed etiam à Nobis, & aliis Christianis Principibus, publicis Edictis vetita. Et proinde denuntiamus Vobis hanc immutabilem Sententiam & voluntatem nostram, quòd Decretum ipsum Nostrum justè & legitimè latum nulla ex parte mutaturi, neque Dominum Episcopum & Jura Ipsius nostro debito patrocinio deserturi sumus. Et si in ea contumacia perseverare volueritis, nos id, quod ad justum, & Christianum Principem attinet, exequemur. =

His allatis Decretis, quæ in Collectione Legum nostrarum reperiuntur; congruum est adjungere adhuc sancitum perpetuum *Casimiri M.* quod in favorem Diæcesis Cracoviensis respectu convectionis Decimarum Anno 1352. promulgari fecit, quodve ad hodiernam diem Archivum Ecclesiæ Cathedralis in suo Originali illæsum asservat, sequenti verborum aliquantulum abbreviata serie. = *districtè præcipimus Nostræ iræ sub obtentu omnibus & singulis Colonis, & Cmethonibus, Terras, Agros, & Prædia quælibet colentibus, in Nostris vel Baronum ac Militum Nostrorum, & aliorum quorumcunque Villis Polonicalibus, vel Theutonicalibus*

calibus, in tota Diœcesi Cracoviensi, ut de cætero Epiſcopo, & Capitulo, Prælatis, & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis & Emptoribus Decimarum Ipſorum, necnon Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Plebanis, Ecclesiarum Collegiatarum, & Parochialium Rectoribus, ac aliis quibuscunque Clericis Sæcularibus seu Regularibus in dicta Diœcesi commorantibus, Decimas frugum suarum cujuslibet Seminis, canabis, & lini tempore Meſsis, quolibet Anno, curribûs suis sine dolo & fraude ad horrea Epiſcopi, & Clericorum, vel alia certa loca Villarum, in quibus hujusmodi Decimæ consiſtunt, quæ Procuratores, Decimatores, aut Decimarum Emptores Epiſcopi, & quorumlibet Canonicorum, vel Clericorum elegerint, conducere, & comportare temporibûs perpetuis teneantur. Si quis autem Decimas occuparet, vel rapere præſumpserit violenter, is pœnâ quæ polonicè piętnadzieſta dicitur, per Noſtros Judices quærulantibus Clericis condemnetur, ut sic quilibet suis rebûs & Stipendiô contentus, Domino DEO, à quo Bona cuncta procedunt, liberiùs famuletur.

Recensita verò hucusque Decreta non sunt hic eo fine allata, ut Decimas in Polonia Spiritualibus deberi evincant. Res enim iſta nulla convictione indiget. Omni sæculô, incipiendo à *Miecislao*, usque ad ho-

dier-

diernum diem, Gens noſtra non minùs conſtanter, quàm firmiter habuit semper habetque persvasum, illas eſse proprietatem Ecclesiarum omnimoda securitate munitam, quod teſtantur omnium Regum Hæredum effata, & in quibusvis sub tempus Reipublicæ Comitiis usque ad noviſsima Anni 1775. prolatæ Conſtitutiones, factæque Decimarum mentiones, quarum singulæ agnoscendo pleniſsimè attributas eſse Spiritualibus Decimas, duntaxat circa modum easdem extradendi, circa Compositionem, Forumque illarum diſpositiones præscribunt.

Prudens Lector facilè inferet, ea tantùm intentione memorata superiùs Monarcharum sancita hic exarata eſse, ut quilibet convincatur, quòd Decimas hæreditarii Reges ab initio fere fundatæ Monarchiæ Epiſcopis attribuerunt, quòd per sæcula omnia de reali ac integra illarum extraditione admodùm solliciti erant, quæ laudabilis ac pia sollicitudo tam conſtanter Throno Monarcharum Noſtrorum insedit, ut, quamvis cum tempore Ordo Equeſtris libertatem faciendi Compositiones super Decimis Conſtitutione 1635. impetraverit; Reges nihilominùs noſtri Prædeceſsorum Monarcharum insiſtendo veſtigiis; eadem ipsa Conſtitutione extraditionem Decimarum in manipulis de Bonis mensæ suæ propriis cæterisque omnibus Regalibus expresiſsimè præcuſtodire dignati sint.

Debent igitur emendare opinionem suam Historiæ Legumque ignari, qui existimare solent, Decimas esse gratias particularium Incolarum easdem extradentium, aut illorum, qui Jure Patronatûs Ecclesiarum potiuntur. Longo temporis intervallô priùs illæ factæ sunt Spiritualium proprietas, quàm Incolæ Equestris Ordinis prærogativâ collationis Ecclesiarum insigniti, longè priùs, quàm Jus hæreditatis Bonorum terrestrium tale, quali nunc gaudent; obtinuerunt. Validiori dextera, quàm sunt particularium Incolarum manus; attributæ sunt Decimæ, quia dexterâ Supremæ Potestatis Regni. Videri potest in Historia & Legibus, quod eadem ipsa dextera Statui Equestri incrementum dando; Dignitates & Bona conferebat, sed iisdem Bonis ab initio juxta arbitrium suum & necessitatem onera imposuit. Assignavit imprimis ex illis Decimas Spiritualibus, cum obligatione, ut in rebus Fidei Genti servirent, prout inquit *Sigismundus* I. Vol. 1. fol. 481. de Bonis & redditibus Spiritualium = *quæ per Serenissimos Prædecessores nostros Poloniæ Reges, & Duces sunt ab initio fundationis Ecclesiarum ad usum duntaxat & onera Ecclesiæ collata* = & alio in loco fol. 510. *ad Divinum cultum peragendum & manutenendum* = aut sicut inquit Casimirus Jagellonides fol: 193. *unde laus & honor Altissimo JESU Christo omnium Creatori, salusque provenit animarum* = Facta autem detruncatione Decimarum; pro aliis dictorum Bonorum emolumentis & proventibus, attribuendo illa Equestri Ordini; strictam bellici servitii obligationem præscripsit.

Compertum id sufficienter habent, qui quantacunque antiquioris Patriæ suæ statûs præditi sunt notitia., quodsi verò aliqui præsentem opellam legentium non satis se convictos senserint, non sibi molestiam inferant, quæritando id in Historiis; videant duntaxat folium 91. Vol: 1. reperient ibidem statim *Vladislai Jagellonis* effatum = *Metas seu granicies Regni Nobiles ab insultu & incursu æmulorum & hostium propriis sumptibus tueri debent, & omnimodè teneantur. Quodsi Ipsis extra Metas Regni Nostri expeditionaliter exire seu se transferre mandabimus, quinque Marcas super quamlibet hastam dare & distribuere promittimus &c.* = & fol: 228. Casimiri Filii ejus magis severum = *Quilibet compareat in loco die constituta sub amissione Bonorum & colli. &c.* =

Verùm, ne quispiam existimet Bona Terrestria ejusmodi obligationibus duntaxat sub Hæreditariis Regibus fuisse subjecta, legat Constitutionem temporibûs jam Reipublicæ propemodùm optimis Anno 1635. latam, Constitutionem quæ Bonorum terrestrium

ſtrium ad Statum Spiritualem alienatiouem prohibet, Conſtitutionem ad præſens vehementer guſtui arridentem, nam fæcundam hodiernorum *Jurium caducorum matrem*, Vol. 3. fol. 854. 855. = *Conſiderando quòd Ordo Equeſtris penes obtentum à Prædeceſſoribus Noſtris Regibus Poloniæ & Magni Ducatûs Lithvaniæ jus in Bona ſua tereſtria hæreditaria, aſſumpsii in ſe ratione eorumdem Bonorum servitii bellici obligationem, vigore cujus contra maxima à paganis pericula pectoribûs propriis non tantum Patriæ ſuæ, sed etiam universæ Chriſtianitatis securitatem tuetur, ne hoc tam magnum Eccleſiæ Dei & Fidei Sanctæ præsidium sensim evaneſcat, ſtatuimus, & nihil aliud tantùm gloriam Dei & integritatem Reipublicæ reſpiciendo, perpetuis temporibûs habere volumus, quòd in poſterum, includendo etiam hoc tempus præteritum, scilicet à die felicis Electionis noſtræ; Bona terreſtria hæreditaria ab Ordine Equeſtri neque donationibûs, neque venditionibûs, neque succeſſionibûs sub qualicunque prætextu alienari poſſunt, neque avelli, neque detineri, sed perpetuis temporibûs remanere debent in manibus & poſſeſſione Perſonarum Ordinis Equeſtris, in quas solas Forum & pœna in Statutis de expeditione bellica expreſſa extenditur.* =

Hæc Conſtitutio non eſt jam effatum hæreditarii Regis, aſt recognitio ipsiusmet

Status

Status Equeſtris, ejusdem ipsius Status, qui mox in proximo folio. 857. in iisdem Comitiis impetravit sibi libertatem faciendarum Compositionum super Decimis. Quamvis paulisper tantùm super adductis hìc Legibus subsiſtens attenta consideratio, quemlibet convincere sufficiet ejusdem manus largitione & Decimas Spiritualibus, & Bona terreſtria Statui Equeſtri ceſsiſse, aſt longè priùs, antiquius, magisque universale jus eſse Spiritualium ad Decimas, quàm Jus hæreditatis Terrigenarum ad Bona terreſtria: siquidem hæc longè priùs ad proprietatem Regum hæredum pertinendo; ac vigore generalis supremæ attributionis longê priùs obligationibus Decimarum subjacendo; poſteriùs modoprimùm, paulatim, & per partes à ſtatu Equeſtri obtinebantur.

Jus igitur Decimarum ex omnibus generaliter Bonis & agris conseminari solitis antecedit omnes alias acquisitiones Jurium quorumcunque per Hæredes aut Poſseſsores obtentas. Intrans quocunque Jure in Bona reperit hanc obligationem illis ante sæcula impositam. Circa acquisitionem proinde Bonorum semper Decima debet reputari tanquam pars emolumentorum à Contractu omnino separata, tanquam res prorsus aliena, priori & antiquiori supremo jure propter Ecclesiam exdivisa, eum fere in modum,

dum, sicut Contributiones publicæ super Bonis exiſtentes, v. g *fumalium, epiſtomii*, aut *faſsionum* &c. Poſsetne quispiam gloriari, quòd ex propria gratia *fumalia* aut *faſsiones* exsolvat? poſsetne sibi hodie Emptor aliquorum Bonorum gravamini imputare, quòd super iis onus solvendi *fumalia* aut *faſsiones* reperiat? Ex his exemplis facilis illatio ad Decimas, ad quas Spiritualium Jura non tantùm sunt omnibus aliis priora & antiquiora, verùm etiam continua, non interrupta, atque per tantum sæculorum decurſum mutationi non ſubjecta. Hæredes & Poſseſsores Bonorum inceſsanter mutantur, nam hæc de manibus in manus, de familiis ad familias transeunt, natura insuper ipsorummet Bonorum mutationem suscipit, nam ſæpenumero è Regalibus terreſtria, è Terreſtribus Regalia vel Spiritualia fiebant, ac fiunt, Jus autem Decimarum super illis immobiliter semper exiſtit ac perseverat, ſiquidem non personis particularibus quæ moriuntur, non Familiis quæ extingvuntur, competit, sed universo Statui Spirituali, semper exiſtenti, Statui notabilem partem hujus Reipublicæ à sæculis conſtituenti, prout inquit *Sigismundus I.* Vol: I. fol: 510. = *Magna pars Reipublicæ Noſtræ in Ordine & Statu Eccleſiaſtico consiſtit* = ambo prædicti Status, sæcularis nempe & Spiritualis Corpus & Incolatum Regni hujus à sæculis componentes, ambo ex una eademque manu proventus poſseſsionesque acceperunt, sub diversis, propriis tamen cuivis obligationibus, prout Leges superiùs adductæ demonſtrant.

Oneribus Spiritualium præterlabentia sæcula allevamentum attulere nullum. Iisdem ipsis obligationibûs quolibet tempore, hodie, & in poſterum obſtrictos se eſse recognoſcunt sentiuntque Spirituales, quæ illis à primordiis Sacrosanctæ Religionis in Polonia erant impositæ. Quodsi verò sæculorum decursu approximatæ in mutatione regiminis circumſtantiæ primitivo bellici servitii oneri per Statum sæcularem simul cum Bonis suscepto allevamentum fecere, exiſtimandum eſt, proſperam hanc obligationum unius Status relaxationem, non tantùm non debere afferre renitentiam reſpectu Decimarum, sed quinimò, per considerationem diminutarum cum tempore obligationum suarum; debere in Statu sæculari efficere alacriorem extraditionem proventuum & Decimarum, alterum Statum officia sua pro iis adimplentem concernentium. Evidentiam talis illationis agnoscet profectò Juſtitia, Virtus, & politiſsima eruditio ipsiusmet Equeſtris Ordinis, qui hodie omnibus hisce dotibûs eximiè reſulgentibus

tibûs Gentis suæ decus & gloriam auget. Ingeminare hìc expedit effatum *Casimiri Magni* superiùs allatum = *Quilibet suis rebûs & stipendio contentus, Domino DEO, à quo bona cuncta procedunt, famuletur.* =

§. II.

Præmissis tot & tam magnis documentis evincentibus Decimas ab initio fere Monarchiæ Regni istius attributas fuisse generaliter à Suprema Potestate Episcopis, facilis sequitur convictio easdem Decimas per Episcopos distributas fuisse inter Beneficia, Ecclesias, & Monasteria. Fide jubet pro hac veritate tota quantacunque reperiri potest nationis & Ecclesiarum nostrarum historia, indubitatam eandem reddunt innumera originalia fundationum Diplomata hucusque asservata, confirmant quoque Leges Regni antiquissimæ.

Qui curiositate ducitur cognoscendi fundationes insigniorum & vetustissimorum in nostris regionibus templorum Monasteriorumque, quàm primùm tantùm aperiet Annales Regni, atque aliquot saltim sæcula oculô percurret, videbit distributionem Decimarum solis duntaxat Episcopis, tanquam earundem generaliter ab initio Sanctæ Fidei vigore Supremæ Potestatis Proprietariis, quoli-

quolibet sæculó, & sub quibuslibet Monarchis post *Miecislaum I.* regnantibus plenissimè fuisse agnitam.

Possunt hoc loco ex ingenti exemplorum numero nonnulla breviter innui. *Casimirus I.* è Monacho Rex locat Tinecii Benedictinos Cluniacô adductos, in quorum gremio votis se religiosis obstrinxerat; attribuit illis in dotem plures quàm centum Regales villas, ex quibus tamen Episcopus Cracoviensis Decimas sibi ab antiquo servientes percipit, & modoprimùm illas Aaron ex Abbate Tinecensi Cracoviensis Episcopus proventibus Monasterii adjungit. *Boleslaus Crivoustus* auget notabiliter Canonicorum Capituli Cracoviensis numerum, incorporat eidem villas, sed Radossius Episcopus Decimas impertit. Reversus è sacro bello Jaxa fundat Miechoviæ de propriis Bonis Monasterium propter Canonicos, ùt ajunt; Custodes Sepulchri Christi, quorum unum secum ex Asia in Poloniam advexit; ast illis statim Gedeon Cracoviensis Episcopus insignes Decimas ex variis Bonis superaddit.

Casimirus II. constructo Sulejoviensi Cœnobio Bona in dotem confert, sed ad petitionem ejusdem Petrus Archi-Episcopus Gnesnensis assignatîs Decimîs proventum

 adau-

adauget. *Ivo Odrowązius* Cracoviensis Præsul inter multas magnasque fundationes suas Monasteriis Mstoviensi, Hebdoviensi, Claræ Tumbæ sive Mogilensi, partim hæreditaria Spiritualiaque Bona, partim Decimas liberaliter providet, atque Xenodochium S. Spiritus Cracoviæ super Bonis ad mensam suam spectantibus Decimaque ex multis Bonis proveniente fundat.

Theodorus Cedro Palatinus Cracoviensis in fundatione de Bonis propriis Sciriciæ facta Monachos Ordinis Cisterciensis collocat, *Vislaus* autem & *Prandota* Episcopi Cracovienses Decimas largiuntur. Litem inter *Zemovitum* Masoviorum Ducem & Episcopum Posnaniensem de Decimis ex novalibus suscitatam *Casimirus M.* dijudicat, ac ad eas Episcopo reddendas effatô suo adstringit. *Joannes* Dux Masoviæ fundationem pro Collegiata Varsaviensi in Bonis & Decimis ab Episcopo Plocensi viâ commutationis acquisitis offert, jam verò *Adalbertus Jastrzembiec* Posnaniensium Antistes super ea illam constituit = *Institutum est ab* Alberto Jastrzembecio, *Episcopo Posnaniensi, Canonicorum, & Vicariorum Collegium, cùm* Joannes *Dux luculentos redditus de Bonis suis, ac de Decimis à Plocensi Episcopo permutatione quadam acquisitis, utrique Illi Collegio addixisset* = *inquit Cromerus Lib: 16.*

Sed

Sed non quæritando in Annalibus similia exempla, si curiosus quisque interrogaret Religiosa Monasteria utriusque sexus, Decimas in variis Bonis, Regalibus, Terrestribus, quinimo etiam Spiritualibus, percipientia, ex cujus collatione in earum possessione existunt? sine mora præsentarent originalia Episcoporum Privilegia ad hæc tempora bene asservata, quorum vigore præfatas Decimas variis seculis, remotissimis, mediis & proximis obtinuerunt. Evincerent ista Originalia, quòd Episcopi sæpissimè ex intentione cooperandi piis fundationibus, Decimas conferebant, sæpe autem ad postulationem interventumque Monarcharum nostrorum idq; illas, quæ ad mensam ipsorum spectabant, sæpe etiam viâ commutationis, ita scilicet, ut Monarcha vel alius quipiam particularis Fundator cupiens Decimas aliquas cuipiam Ecclesiæ vel Monasterio attribui, pro earum attributione alios perpetuos redditus Episcopo attribuenti cederet & appropriaret. Et reapse, quando quidem solis Episcopis ab initio omnes generaliter Decimæ fuerunt redditæ, quandoquidem à seculis in eorum proprietatem transierant, nemini ex alia quàm Episcopi manu obvenire poterant.

Quæcunque Ecclesia, Cathedralis sive Collegiata, Parochialis sive Monastica, De-

 cimas

cimas intra suos proventus numerat, illas de hac manu accepit. Si verò alicubi reperiantur, quæ ſpeciem quandam præferant, quasi à quopiam alio, non autem ab Epiſcopo collatæ fuerint; tales profectò vel viâ impetrationis ab Epiſcopo, vel viâ commutationis pro aliis perpetuis redditibus per Fundatorem conferentem acquisitæ erant. Perlectæ ac consideratæ in particulari fundationes facilè hac de re convincent.

Ad confirmandam largitionem Decimarum Poteſtate Epiſcopali si hoc loco ex Legibus Regni antiquiſsimis aliquid proferri expediat, satìs eſt provocare ad Voluminis I. folium 99. 100. 101. Poſtulante *Casimiro M. Bodzenta* Cracoviensium Antiſtes à præſtatione Decimarum ad decursum annorum triginta Terras Lublinensem, Sieciechoviensem, & Łukoviensem, utpote tunc temporis incursionibûs Tartarorum & Lithvanorum devaſtatas; liberat, Decimas in oris transviſtulanis, ac Ruſsiæ Hungariæque confinibus diſponit, in bonis circa *Długiepole* & *Czorſtyn* partem Ecclesiis Parochialibus attribuit, reliquum mensæ suæ reservando; cautiones nonnullas superaddit &c: omnia autem hæc conſtituit ad petitionem hæreditarii Regis, & conſtituit non de una villa, non de una poſseſsione, sed de territoriis notabiliter amplis, continentibus in se Bona Rega-

Regalia, Terreſtria & Spiritualia, quod evidentiſsimè demonſtrat, in solis duntaxat Epiſcoporum manibus largitionem & diſpositionem Decimarum à sæculis extitiſse.

Hæc notitia funditus tollet admirationem nonnullorum, quanam de causa sæpenumero in una Parochia pluribus Ecclesiis, non rarò satìs remotis; Decimæ proveniant? Quarenam illas aliquando Prælati, Canonici, aut Monaſteria percipiant? frequenter Mensa Epiſcopalis exdecimet? & aliquando ipsamet Parochialis Ecclesia de nulla participat? Ecclesiæ antiquiſsimæ fundationis fere omnes saltim ex aliquibus suæ Parochiæ villis ad hodiernum usque diem Decimas percipiunt, nam illis eas Epiſcopi Erectionis tempore in villis interea habitatis vix non ubiquè addixerunt, verùm etiam sæpenumero contigit, ut addictis aliquibûs; alias ad mensam suam reservaverint, super aliis Prælaturas & Canonicatus fundaverint, alias Monaſteriis contulerint.

Dum succeſsu temporis in qualibet Parochia novarum villarum augebatur numerus, quarum Decimæ Mensam Epiſcopalem concernebant, has iterum Epiſcopi juxta neceſsitatem inter varias Ecclesias partiebantur, vel super illis novas fundationes con-

conſtituebant, prout hisce etiam temporibus Decimas ex novalibus diſponere ſolent, hinc igitur orta ſunt multiplicia jura ad decimandum in una eademque Parochia diverſis Perſonis ſervientia, ſæpenumero inſuper in una villæ parte aliquas tantùm agrorum, videlicet aut prædialium, aut Emethonalium ſpecies complectentia. Hinc pariter profluxere uſitati in cauſis Decimarum termini: *Jus commune*, aut *Jus ſpeciale* alicujus Eccleſiæ ad Decimas. *Primum* fundatur in ſubjectione Juribus Parochialis Eccleſiæ, & participatione Sacramentorum in ea, *alterum* in ſpeciali atque expreſsa attributione Decimæ. Omnes, quicunque in aliena Parochia Decimas percipiunt, debent ad illas habere Jus *ſpeciale*, & interrogati in judicio de jure *petendi*, illud producere adſtricti ſunt, Eccleſiæ autem Parochiales ad nonnullas Decimas in propria Parochia percipi ſolitas, præter jus *commune* in adminiſtratione Sacramentorum fundatum, præſentant etiam non rarò *ſpeciale*, per expreſsam earum attributionem, cùm autem ad aliquas oſtendere non poſsint Jus *ſpeciale*, juſtè provocant ad Jus *commune* & poſseſsionem. Cùm enim quiſpiam alius jus ſpeciale ad tales Decimas non exhibet, cùm eas menſa Epiſcopalis non percipit, exiſtimandum supereſt, à tempore Erectionis attributas eſse per Epiſcopum Eccleſiæ Parochiali pro Sacramentorum adminiſtratione, quæ juxta generalia Eccleſiæ univerſalis Sancita Eccleſiæ Parochiali ad omnes Decimas in tota illius Parochia jus ſecuritate obfirmat, niſi alia ſpeciali legitimaque diſpoſitione de ejusdem circumplexu fuerint exemptæ. Tale Jus *commune* non tantum in Judiciis Spiritualibus multis Parochialibus Eccleſiis agnitionem Decimarum evicit, verùm etiam in Terreſtribus ac Tribunalitiis favorabilia juſtitiæque conformia propter easdem Eccleſias Decreta obtinuit.

Memoratæ Jurium Decimalium diſtinctioni atque varietati magnopere etiam cauſam dedere ſubſecutæ cum tempore diſmembrationes ſive diviſiones Parochiarum. Primis poſt plantatam apud nos Fidem Sanctam ſæculis raræ admodum & à ſe remotæ erant Parochiales Eccleſiæ, diſtantia illarum extendebatur ad aliquot milliaria, imò nonnullarum etiam ad plura quàm aliquot, nam aliter in primordiis eſse non poterat. Cùm autem Decimæ ex Villis intra ambitum talium primitivarum Parochiarum contentis jam ex originativa diſpoſitione ad varias fundationes pertinerent, ſucceſsivè tamen Reges, Epiſcopi, nobilesque Terrigenæ, frequentiores Parochiales Eccleſias erigerent, partim propter majus cultus Divini

vini augmentum, partim propter commoditatem, quatenus nempe incolæ à longinquo causâ peragendæ devotionis liberarentur itinere, subsecutæ proinde Parochiarum divisiones, noviterque erectæ Parochiales Ecclesiæ sine Decimis remanere debebant: nam licètsi Villas ad Jus Parochiale novæ Erectionis acquirerent, non tamen Decimas, siquidem hæ jam antiquioribus obligationibus subjectæ erant. Ex hoc fonte profluit, quòd aliquando Ecclesia Parochialis de hac ipsa Villa, in qua consistit; nullam Decimam percipiat, sed quispiam alius, ex eodem profluit, quòd una eademque Villa Decimam cuipiam alteri, Missalia autem & maldratas propriæ Ecclesiæ extradit. Quæ enim Villa aut possessio cupiebat intra sui ambitum Ecclesiam Parochialem habere, cùm in ejus fundationem non possent converti Decimæ, uti jam ad quempiam alium pertinentes; obtulit sponte aliam in agris, missalibus aut maldratis, ad quas se obstrinxit, & super his Episcopi novas Parochias constituebant, juxta illam sponsionem *Bodzantæ*, quam Vol. I. fol. 102. legimus = *Et ut Divinus Cultus Nostris temporibûs augeatur, promittimus, quòd ubicunque Nobiles continuam sustentationem Presbytero assignare curaverint, eidem Ecclesiam in Bonis suis fundabimus indilatè* = Quamvis igitur nonnullæ Villæ aliis Eccle-

Ecclesiis vel fundationibus Decimas extradant, præterea tamen propriæ Ecclesiæ Missalia, frumentorum modios vel maldratas, porro dationes, quales ex spontanea susceptione & obligatione per Erectionem Ecclesiæ propriæ securitate firmatæ sunt; reddere tenentur, prout ipsamet Lex Regni 1635. Vol. 3. fol. 858. expressè præcustodivit in verbis = *Ubi vero ex aliquibus agris maldratæ dantur, ex iisdem Decima dari non debebit, & vice versa, ex quibus Decima datur, maldratæ non dabuntur, nisi alicubi in contrarium evidentes Fundationum ac Inscriptionum dispositiones fuerint productæ.* =

§. III.

Solent non rarò interrogationes fieri, utrum ex omnibus generaliter campis, agris, sulcis, etiam in hortorum ambitu conseminari solitis? tum, utrum ex omnibus frumentorum speciebus Decimæ debeantur? Utramque hanc quæstionem admodum clarè & sufficienter resolvunt Leges Regni per effata sequentia = *ubicunque Aratro in hortis aratum, vel in Campis fuerit, Decima plenariè exolvatur, exceptis rapis, papavere, caulibus, cæpis, allio, & quæ sunt his similia. In hortis si quis ligonisando plantaverit, Decima ab eo nullatenus recipiatur. Vol. I. fol. 97. §. de Decimis seminatorum in hortis* = Nulla

Nulla igitur terræ particula aratrum & seminationem suscipiens, ubicunque, sive in agro, sive in horto existens potest esse immunis à Decima, soli duntaxat sulci in hortis ligone elaborati ab illa sunt liberi. Omnes pariter frumentorum species obligationibus Decimæ sunt subjectæ, exceptis tantummodò rapis, papavere, brassica, cæpis, allio, & his similibus. Possuntne esse in quapiam materia Leges Regni Nostri magis expressæ & generales, quàm hic adductæ?

§. IV.

Hæc autem generalitas obligationis Decimarum vigore Legis tam prolixè extenditur, ut omnibus non tantum antiquissimo, & quocunque posteriori tempore, usque ad præsens cultis & seminatis agris jus decimæ præstandæ imposuerit, sed etiam nunc de novo excultos & quandocunque in posterum colendos ac seminandos eidem ipsi juri sine ullo discrimine pro semper subjiciat. Ad evincendam hanc veritatem satis est exscribere hic §in. de Decimis per progressum habendis Vol. I. fol. 101. = *Demum statuimus & ordinavimus voluntate & consensu Domini Nostri Regis prædicti ad hoc specialiter accedente, quod ubicunque ab antiquis Agris progressivè quispiam Sylvas rubeta, vel meritas extirpaverit, ille Decimam percipiat de novalibus à modo, ad quem antiquorum Agrorum Decima primitus pertinebat, verum si à dextris vel sinistris ab antiquis Agris aliqui Incolæ fuerint collocati, extirpaverintque Sylvas, nemora vel rubeta vel meritas, prædicti Incolæ de Agris ipsorum totaliter extirpatis Nobis & Nostris Successoribus Decimam solvere tenentur* = Lex ista satis superque manifestè probat, sub quacunque appellatione consideratum agrum, semper in se portare obligationem Decimæ semper subjiciere debere alicujus decimationi.

Jus Decimarum ab initio generaliter Episcopis attributum, tam rigorosè & amplè complectitur omnes agros, præteritos & futuros, ut nullus sulcus inveniri queat, qui quocunque prætextu ab obligatione extradendi Decimam eximi possit. De qualibet particula agri aratro culti & seminati omnino aut Episcopus percipere debet vigore juris sui generalis, aut alia Ecclesia vel fundatio speciali attributione ab Eo prædita: inter hæc duo jura omnes agros generalissimè complectentia tota Legum nostrarum Collectio nullam exceptionem noscit, videlicet, neque ex parte naturæ Bonorum cujus sunt? neque ex parte antiquitatis camporum quales sunt? neque ex parte specierum seminum, quibus seminantur?

nam Regalia, Terrestria, Spiritualium, ac Oppidanorum Bona, Curiales, prædiales, & rusticorum agri, ab antiquo culti, de novo extirpati, & succesſu temporis extirpandi campi, æquali obligationi extradendi Decimas sunt subjecti, nam æqualiter de omnibus sine differentia, sine exceptione Decimæ sunt attributæ, & hæc pars fructuum super omnibus iis vigore unius ejusdemque Legis Regni, virtute Supremæ Potestatis à sæculis propter Spirituales est aſsignata, & securitate firmata.

PARS SECUNDA

De Legibus ab utraque Suprema Potestate tam Ecclesiastica quàm Politica Regni Poloniæ emanatis super Compositione de Decimis, & de Foro, in quo judicari debeant? De Libris Beneficiorum qui Erectionibus æquivalent. Tum ex occasione Decimarum pecuniariarum quibusdam Ecclesiis competentium, de variis ſpeciebus antiquarum Monetarum Poloniæ & de praxi æstimationis earum ad valorem Monetarum nunc currentium ex mente Constitutionum Regni per Decreta Supremarum Instantiarum pronuntiatæ.

§. I.

BREVE DE DECIMIS.

Quod communiter per Sæculares Bulla appellari solet.

URBA-

URBANUS PAPA VIII.

AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Cum sicut dilectus filius, Nobilis Vir Ge-
„ orgius Ossolinski, Comes de Teczyn,
„ Charissimi in Christo Filii Nostri Vladi-
„ slai Poloniæ & Sveciæ Regis Illustris, ad
„ Nos & Apostolicam Sedem Orator, No-
„ bis nuper exponi fecit, diversæ contro-
„ versiæ, lites, & differentiæ inter Eccle-
„ siasticos & Nobiles Regni Poloniæ, oc-
„ casione solutionis Decimarum, sæpe
„ oriantur: Nos litibus, differentiis, &
„ controversiis hujusmodi, quantum cum
„ Domino possumus, obviam ire, pacique
„ & quieti Ecclesiasticorum, & Nobilium
„ præfatorum consulere volentes, suppli-
„ cationibus dicti Georgii Comitis, & Ora-
„ toris, nomine ejusdem Vladislai Regis,
„ Nobis super hoc humiliter porrectis, in-
„ clinati; Venerabilibus Fratribus Archi-
„ Episcopis, & Episcopis dicti Regni Polo-
„ niæ, tenore præsentium committimus, &
„ mandamus, ut compositiones per Eccle-

„ sia-

„ siarum Rectores, & Laicos faciendas,
„ super quantitatem Decimarum confir-
„ ment, vel illas approbent de consensu
„ Rectorum, & ubi non adest illorum con-
„ sensus, etiamsi agatur de novalibus, Or-
„ dinarius assumptis duobus de suo Capi-
„ tulo, unà cum illis Causam, & Causas,
„ super compositione facienda cognoscat,
„ ac terminet appellatione remota, ubi
„ Decimæ quolibet anno non excedunt flo-
„ renos quinquaginta in valore earum: &
„ quatenus excederent dictum valorem,
„ tunc semel appellare liceat, & appella-
„ tio per Metropolitanum, assumptis pari-
„ ter duobûs de suo Capitulo, cognosca-
„ tur, & terminetur. Quatenus verò Me-
„ tropolitanus esset Ordinarius, tunc ap-
„ pellatio cognoscatur & terminetur per
„ Nuntium Apostolicum, in eodem Regno
„ commorantem. Et quatenus primæ in-
„ stantiæ ab eodem Nuntio cognosceren-
„ tur, tunc à sententiis dicti Nuntii apella-
„ tiones, nullitates, ac in integrum resti-
„ tutiones committantur per eundem Nun-
„ tium alteri Episcopo ejusdem Regni, qui
„ pariter assumptis duobus de suo Capitulo
„ insimul cognoscant, & terminent. Quodsi
„ contentio erit inter aliquem Episcopum,
„ & Nobilem, seu Nobiles; tunc causa
„ cognoscatur per Metropolitanum, assum-
„ ptis pariter duobûs de suo Capitulo. Si

„ verò

„ verò erit inter Metropolitanum ac Nobi-
„ lem, seu Nobiles, tunc ſpectet ad Nuntium
„ pro compoſitione de partium conſenſu
„ facienda, alias viâ juris terminanda, ùt
„ ſupra. Decernentes præſentes Literas
„ validas, firmas, & efficaces exiſtere &
„ integros effectus ſortiri, & obtinere,
„ ac ab omnibus & ſingulis, ad quos ſpe-
„ ctat, & pro tempore ſpectabit, inviola-
„ biliter obſervari: irritumque & inane,
„ quidquid ſecus ſuper his à quoquam qua-
„ vis authoritate, ſcienter, vel ignoran-
„ ter, contigerit attentari. Non obſtan-
„ tibûs quibusvis Conſtitutionibus, & Ordi-
„ nationibus Apoſtolicis, ac quarumcunque
„ Eccleſiarum, etiam juramento, confir-
„ matione Apoſtolica, vel quavis firmitate
„ alia roboratis Statutis, & Conſuetudini-
„ bus, Privilegiis quoque, Indultis, & li-
„ teris Apoſtolicis, in contrarium quomo-
„ dolibet conceſsis, confirmatis, & innova-
„ tis. Quibus omnibus & ſingulis, eorum
„ tenores, præſentibus pro ſufficienter ex-
„ preſsis habentes, illis aliàs in ſuo robo-
„ re permanſuris, hac vice duntaxat, ſpe-
„ cialiter & expreſsè derogamus, cæteris-
„ que contrariis quibuscunque. Datum
„ Romæ apud Sanctam Mariam Majorem
„ ſub Annulo Piſcatoris Die 27ma 9bris
„ 1634. Pontificatus Noſtri Anno 12mo.

CON-

CONSTITUTIONES REGNI.

Anno 1635. Vol: 3. fol: 857. tit: Compoſitio ſuper Decimis. „ Sopiendo controver-
„ ſiam quæ inter Statum Equeſtrem & Spi-
„ ritualem (nam ex Bonis Noſtris, juxta
„ antiquam conſuetudinem ſine ulla con-
„ tradictione Tenutariorum Noſtrorum li-
„ bera manet perceptio Decimæ in mani-
„ pulis) ad hæc tempora non eſt finita:
„ Et quoniam generalis in omnibus Diæ-
„ ceſibus Compoſitio, propter inæqualita-
„ tem fundorum & agrorum fieri non po-
„ teſt: prævia S. Sedis Apoſtolicæ conceſ-
„ ſione ſtatuimus, ut quilibet Epiſcopus in
„ ſua Diæceſi (in qua Decimæ dari ſolent)
„ *Compoſitiones de conſenſu Rectorum factas, &*
„ *faciendas, antiquos Contractus & Quietatio-*
„ *nes approbent temporibus perpetuis.* Si Spi-
„ ritualis *concordare nollet, debebit Loci Or-*
„ *dinarius ad inſtantiam cujuslibet Nobilis aſ-*
„ *ſumptis ſibi duobus ex Capitulo Nobili genere*
„ *natis; differentiam ejusmodi in pecuniam com-*
„ *ponere, & non obſtante refragatione Spiri-*
„ *tualis; decidere, habendo præcipuum reſpe-*
„ *ctum in deſolationem,* & onera pauperum ho-
„ minum. Ubi verò ex aliquibus agris Mal-
„ dratæ dantur, ex iisdem Decima dari
„ non debebit, & *vice verſa* ex quibus De-

„ cima

„ cima datur, Maldratæ non dabuntur, „ nisi alicubi *in contrarium* evidentes fun- „ dationum ac Inscriptionum dispositiones „ fuerint productæ. Igitur cùm aliquibus „ in locis, tam ex Bonis nostris, quàm No- „ bilium, loco Decimarum sine ulla con- „ tradictione cum Spiritualibus dantur Mes- „ salia, penes hanc consvetudinem ejus- „ modi Bona relinquimus. Et de talibus „ Decimis pecuniariis, ex hujusmodi Com- „ positione approbatis & decisis, consti- „ tuimus Processum in Judicio Castrensi „ Querelarum *sine Appellatione.* Ii autem, „ qui penes manipulares permanere volue- „ rint, Ordinarium Processum in Judicio „ Terrestri, ac postmodum in Tribunali ha- „ bebunt. Et si Spiritualis tempore adveni- „ ente solutionem juxta Compositionem ac- „ ceptare noluerit, Nobilis debet pecuniam „ in Officio Castrensi deponere, nec de ea in- „ quietandus est præsentata Quietatione „ Castrensi. Has autem Compositiones „ liberum erit cuilibet ad Acta Castrensia „ cujuscunque Districtus porrigere, ne po- „ steritas ad similes postmodum deveniat „ differentias. Qui tamen Nobilis ultrò „ voluerit, ut ex ejus Agris Decima in ma- „ nipulis proveniat, liberum illi erit non „ solùm ipsimet hoc servare, ast etiam „ Successores suos ad idem obligare. Ubi „ autem Decimarum in manipulis usus vi-

„ gue-

„ guerit, ibidem Domini Spirituales intui- „ tu antiquæ consvetudinis ratione Deci- „ marum ad solvenda tributa tenebuntur.„

Anno 1635. Vol: eodem, fol: 859. tit: de Libris Beneficiorum.

„ Librîs Beneficiorum Spirituales ad- „ versus Bona Nobilium non ampliùs pro- „ bare poterunt, quàm solos Ecclesiæ fun- „ dos & Decimas.

Anno 1638. Vol: eodem, fol: 933. tit. Declaratio Præscriptionis in Bonis Spiritualium.

„ Declarando de Præscriptionibus Con- „ stitutionem, tempore felicis Coronatio- „ nis Nostræ latam, præcavemus, quòd „ non ad futurum tantùm sed etiam ad „ præterita extendi debeat Præscriptio ra- „ tione Bonorum immobilium, exceptis „ quando vacabant Ecclesiæ, ob suppres- „ sionem fundationum Ecclesiarum, de quo „ Actio non potest sine documento speciali „ intentari. *Et quando in aliqua causa ra- „ tione Decimarum, Decretum compositi Judicii, „ aut Compositio & approbatio Loci Ordinarii „ interveniet, protunc jam nulla ratione susci- „ tari debet.*

1678. *Vol: 5. fol: 560. tit: de Decimis.*

„ Lex

„ Lex de Decimis juxta Constitutio-
„ nem Anni 1635. ut in executione perseve-
„ ret, Authoritate præsentis Conventus sta-
„ tuimus, & quodcunque Decretum contra
„ suprafatam latum fuerit, nullitati sub-
„ jaceat.

1768. fol: 247. tit: de Decimis in Regno & Ducatu Lithvaniæ.

„ Forum antiquioribus Legibus in Cau-
„ sis Decimarum præscriptum, ut unicè in
„ Judicio Terrestri locum habere, & di-
„ judicari, salva Appellatione ad Tribunal,
„ possint, certificamus; & evocantes ad
„ Judicium Spirituale in tali causa subesse
„ debent pænæ mille Marcarum irremissi-
„ biliter irrogandæ. Et in casum, si cau-
„ sa alicujus Spiritualis ex Regestro Mixti
„ incideret, & interea quatuor Spirituales,
„ & quatuor Sæculares pro Tribunali sede-
„ rent, paritasque Votorum eveniret, Ma-
„ reschalcus Sæcularis altero suo calculo
„ hanc paritatem resolvet. Et si Causa fue-
„ rit cum Persona partem Judicii Terrestris
„ constituente, eo in casu, Causa in vi-
„ ciniori Judicio Terrestri intentari debet
„ modo supra descripto.

1775. Tom: 1. fol: 47. tit: Subsidium Charitativum. circa finem.

„ Quòd

„ Quòd attinet Decimas ex Bonis No-
„ bilium, Bullam Urbani VIII. in effectu
„ haberi volumus, & ut ad excutionem
„ deducatur, statuimus.

Hæc tantùm sunt Documenta, & sancita Supemarum Potestatum, Spiritualis nempe & Sæcularis respectu Decimarum & Causarum de illis in Polonia, quæ nobis Historia Polona, & Volumina Legum Regni commonstrant. Alia nulla supersunt, & si quæpiam in aliis Legibus de Decimis reperitur mentio, ea non nisi cum referentia ad illa quæ superiùs descripta sunt.

Ex his Documentis evincitur

1mò. Liberum esse Incolis Nobilibus prætendere Compositionem super Decimis, videlicet, quatenus locó Manipularium pecuniarias extradant.

2dò. Duobus duntaxat modis hanc Compositionem fieri posse. 1mo dum Parochus, sive quispiam alius Decimam percipiens consentit in concordiam, dum eandem ipsemet init, & dum præfatam Concordiam sponte initam, aut etiam antiquum Contractum aut Quietationem consentiente similiter Parocho Episcopus approbat. 2dò. modo, dum Parochus Compositioni adversa-
tur,

tur, ac proinde, dum illam ipsemet Episcopus per electos è Capitulo suo Cathedrali Delegatos facit, & statuit in perpetuum.

Præter hos duos Compositionis modos nullum ampliùs Lex permisit.

3tiò. Evincitur, quòd quocunque ex his duobus modis fit Compositio, valor & perpetuitas illico redundat ex influxu in eam Potestatis Episcopalis, aliàs ex approbatione. Ac proinde & antiquissimæ privatim factæ Compositiones, & Quietationes, & Contractus, quantumvis longo tempore in usu existentes; præsentati, nullum robur ex Jure Regni recipiunt, nullum respectum in Judiciis habere debent, si illos approbatio Episcopalis, solemnes, ac idcirco perpetuos & validos non facit. Utique satis superque evidens est hoc in puncto contextus Legis 1635.

4tò. Evincitur, antiquissimas Compositiones, Quietationes & Contractus approbatione Episcopi carentes non posse robur acquirere etiam ex præscriptione, siquidem ab illa expressissimè *Causæ Decimarum* sunt exemptæ per Constitutionem 1638. prout supra.

5tò.

5tò. Evincitur ex hac Constitutione 1638. in materia Decimarum duos tantummodo Actus esse inviolabilis firmitatis, videlicet aut Compositionem Authoritate Episcopali munitam, aut Decretum Tribunalis Regni Judicii Compositi. Hi solùm duo Actus acquirunt validitatem, & perpetuitatem ex Jure Regni, cæteri verò omnes qualescunque *in materiis Decimarum* evenientes, sunt *contra mentem Legis*, ac proinde nullo Legis præsidio gaudere possunt.

Sed dicet quìspiam: Nobilis producit Quietationes ab Annis 60. 80. quibus deducit se Decimam pecuniariam reddere soluisse. Talia asserens, necesse est, ut respondeat, an Quietationes illæ habeant approbationem Episcopi? an non? Si enim habeant, sunt re vera sufficiens Parti Documentum juxta Legem scriptam, ac proinde juxta illas Judicium procedere debet. Si non habent, etiam nullum respectum Judicii lucrari debent, nam sunt directè contra Legem. Quando igitur Parochus ad Judicium recurrit, & Decimam in manipulis prætendit, Nobilis autem opponit Quietationes, antiquos Contractus, Compositionem, ast omnia hæc sine approbatione Episcopi, quidnam Judicium agere debeat? Leges allegatæ sufficienter docent. Debet nempe Judicium rejicere ejusmodi Quietationes,

tiones, Contractus, & Compositionem, approbatione carentes, & juxta mentem ac præscriptum expresæ Legis Nobili demandare, quatenus in manipulis extradat, aut si id non placeat, Compositionem apud Episcopum procuret, nihilominus quousque hæc sortiatur effectum, Decimam manipularem detinere non præsumat.

Si quodpiam Judicium aliter in hac materia sua Decreta ferret, videretur Legem scriptam non exequi, sed eam aut arbitrariè interpretari, aut more Legislatorum resolvere, qualem potestatem interpretandi, & multò magis legislatricem resolvendi Subsellia Judiciaria, quantumvis suprema; non habent, siquidem Legem duntaxat sine interpretatione adimplere debent. Posset hoc loco adduci in suo contextu formula Juramenti, quo Judices Jurisdictionum Regni nostri respectu Legis & Incolarum obstringuntur. Constitutiones Regni de Decimis superiùs allegatæ, sunt claræ, præcipuè Constitutio 1635. est in hac materia *Cardinalis* & simul *Normalis*, est Lex fundamentalis, mutuo utriusque Supremæ Potestatis consensu præscripta, est simul & Regula faciendarum Compositionum. Complectitur omnes illarum casus, statuit, & admodùm clarè demonstrat solemnitates, Lex autem 1678. expressissimè notâ invaliditatis signat omnia Decreta Constitutioni 1635. non conformia, & quod debeant *nullitati subjacere*, declarat.

Et re vera fine adimplendi supremas ejusmodi Sanctiones in multis Judiciis Terrestribus non pauca publicata sunt Decreta, quibus Quietationes, Contractus, Compositiones licèt admodum antiquæ, sed debita Solemnitate Juris Regni, nempe approbatione *Loci Ordinarii* destitutæ, rejectæ sunt, & Decimæ in manipulis *ad mentem Librorum Beneficiorum* (qui sunt Erectionales Ecclesiarum) extraditio, aut procuratio Compositionis solemnis jure definitæ demandata est.

Talia specialiter aliquot Decreta publicavit Inclytum Judicium Terrestre Cracoviense, quæ, sicut in præscripto præfatarum Constitutionum fundata, approbationem in Tribunali Regni Lublinensi ex Regestro Palatinatus Cracoviensis Anno 1779. cum laude receperunt.

Dictas autem Compositiones solæ duntaxat Curiæ Bonorum Terrestrium Nobilium de suis propriis Decimis ex agris prædialibus prætendere possunt, nam Bona Regalia non tantùm per Constitutionem 1635. à Compositionibus exempta sunt, sed etiam

etiam ad extradendam in manipulis Decimam expresse obstricta, sicut primum præscriptum præfatæ Constitutionis præmonet.

§. II.

DE FORO DECIMARUM.

Noscentes bene mentem Legis Patriæ, speciesq; Causarum variis Judiciorum Subselliis subjectas, affirmant, in quolibet casu cujuscunque Causæ super Decima Bonorum Terrestrium posse Actionem institui in Judicio Terrestri, ast etiam superaddunt, in materia Decimarum posse contingere casus *Causarum purè facti*, ac proinde tunc temporis Spiritualem injuria affectum non tantùm ad Judicium Terrestre omnino, verùm etiam ad Castrense convenienter recurrere posse absque metu pœnarum *pro evocatione*. Rem elucidabunt exempla. *Imo*, Nobilis non vult extradere Decimam in manipulis ex suis Agris Curialibus, aut interdicit Subditis suis, ne extradant manipularem cui debetur, & utrumque istud agit ex motivis, quòd per annos aliquot, aut aliquot denos tam Curia, quàm Communitas subditorum pecuniariam reddebant. Talis Causa ad solum tantummodo Terrestre, non autem ad Castrense Judicium pertinet, siquidem hìc occurrunt ad

ad resolvendum quæstiones, an Spirituali prætendenti debeatur manipularis? an Curia vel Subditi pro reddenda pecuniaria habeant Compositionem solemnem? proinde quando occurrit cognitio juris ad Decimam manipularem aut solemnitatum Compositionis, solum duntaxat Terrestre, non autem Castrense Judicium talem Causam decidere debet, & de talibus speciebus Causarum super Decimis strictè intelligenda est Constitutio 1768. *2do*. Detinet Nobilis Decimam manipularem ex Agris Curialibus, non permittit eandem exdecimari, convehit in horreum suum absq; exdecimatione, ast Spiritualis jus ad illam habens *fuit in immediata possessione exdecimationis*, exdecimabat eam Anno immediatè elapso; in tali casu non tantùm ad solum Terrestre *privativè*, sed etiam ad Castrense Judicium recursus fieri potest *in sola Causa facti pro exturbatione de possessione decimandi*. Cum enim Spiritualis fuerit in recenti pacifica possessione exdecimandi, & violenter sine judicio, sed modo Causæ facti eadem possessione spoliatus est, debet in jurisdictione Castrensi super Causis facti vigilante citò invenire defensionem in recuperanda possessione exdecimandi eousque continuanda, donec Judicium Terrestre *super cognitione juris exdecimandi* Decretum suum promulgaverit, si citatus ad Judicium

Ca-

Castrense Nobilis tale jus *exdecimationis manipularis* denegare prætenderet. Eadem ipsa regula applicari debet casui, si Hæres Incolis oppidi sui, vel communitati villæ interdicat extraditionem Decimæ Spirituali, qui recentem exdecimationis illius manipularis posseſsionem habuit, nam id æque operatur speciem Causæ facti. Ad confirmandum sentimentum istud posſent hoc loco magna cum laude memorari multorum Palatinatuum & Districtuum Judicia Castrensia, in quibus præclari Viri, Virtute justitiæ, & profunda Legum Patriæ peritia conspicui, similes Causas Judicio Castrensi subesse agnoverunt, & judicarunt intra cancellos principii juris omnibus Gentibus communis, licèt in alia expreſsione, apud nos autem his verbîs contenti = *expulſus ante omnia reinducatur.* = *3tio.* Eo autem magis adhuc non tantùm ad Terrestre, sed etiam ad Castrense Judicium pertinere potest species Causæ Decimarum, quando ipsemet Hæres, aut Posſeſsor ab Oppidanis ac Subditis suis Decimas in manipulis percipit, ac colligit, Spiritualem autem jus ad illas habentem cogit, ut pro iis pecunia contentus sit, sæpenumero in tali quantitate oblata, quanta violenter Decimas intercipienti placet. Hic maximè propria expreſsione committitur *raptus rei alienæ*, ac proinde Judicio Castrensi convenientiſsimè subji-

subjicitur. Opportunum omnino est, ut in Stubis judiciariis memoria teneatur, aliud prorſus eſse Decimam ex propriis agris Curialibus non extradere, detinere, & aliud interdicere Subditis, ne eam cui debetur, extradant, & multo magis adhuc quid aliud est, ex agris Oppidanorum vel Subditorum Villæ suæ Decimam violenter rapere & tollere. Opportunum inquam est accuratè distinguere casus, & species Causarum super Decimis etiam reſpectivè *quo ad Forum*, nam, dum est quæstio *super cognitione juris exdecimandi in manipulis, vel solemnitatis prætensæ allegatæ Compositionis*, ad solum Judicium Terrestre *privativè*, & ab hoc ad Tribunal Regni recurrendum est, Dum autem est Causa *super non extraditione Decimæ ex agris prædialibus, vel prohibitione extraditionis* in cujus exdecimationis poſseſsione fuit Spiritualis, aut *super raptu Decimæ* ab Oppidanis vel Subditis, non omnino ad Judicium Terrestre *privativè*, sed etiam ad Castrense tanquam *Causa facti* admodum legitimè & convenienter per Spiritualem injuria affectum induci potest. Nam Constitutio 1768. in sua intentione & scopo considerata ipsa duntaxat Judicia Spiritualia à cognioine Causarum super Decimis amovet, recursum ad illa *Evocationem* eſse decernit, & pœnam statuit, nihil innovando reſpectu Causarum facti,

facti, quæ licèt in materia Decimarum, tamen ex specie facti semper Judicio Castrensi subjiciebantur.

Bona omnia Regalia quemadmodum Compositiones super Decimis (quod supra deductum est) prætendere non possunt, ita etiam *Forum* proprium aliud habent, videlicet Curiæ Bonorum Regalium, tum Urbium & Oppidorum Regalium Incolæ in Judiciis Assessorialibus ut vocant, seu quibus præsidet Cancellarius Regni, Communitates verò Villarum omnium Regalium in Judicio Referendariali, cujus Caput est Referendarius Regni, in Causis Decimarum conveniri debent.

Quod attinet *Forum* in Causis Decimarum, superest adhuc afferenda una singularior animadversio, quod, dum occurrit Causa *super cognitione juris exdecimandi in manipulis*, *vel solemnitatis Compositionis* super Decima ex agris Curialibus Bonorum Terrestrium alicujus Nobilis Dissidentis, licèt talis Causa ad Judicium Terrestre *in prima instantia* pertineat; nihilominus *per appellationem* jam non ad Tribunal Regni, sicut omnes aliæ, sed ad Judicium Cancellarii Regni devolvi debet. Id expressè legitur in Tractatu *A.* 1768. *Actu separat: Art:* 4. §. 13. *fol:* 56. ulterius autem in

in Ordinatione *Judicii Mixti* eodem Anno fol: 238. 239. eaq; dispositio nullam mutationem in *Actu Modificationis* ejusmodi Legum Anno 1775. Tom. 1. fol: 58. positæ obtinuit. Cæterum hæc singularior exceptio propter Nobiles Dissidentes de solis duntaxat Causis Decimarum *juris*, hoc est *super cognitione juris decimandi in manipulis*, *vel solemnitate Compositionis* super Decimis ex agris Curialibus tantum intelligi debet, nam in cæteris omnibus Causis facti ex ratione Decimarum pullulantibus in Castrensi vel Terrestri Judicio, ac postmodum in Tribunali Regni æquo jure, sicut alii Incolæ, respondere videntur esse obstricti.

Quandoquidem dictum est Curias Bonorum Terrestrium posse prætendere Compositionem super Decimis ex agris prædiorum suorum in fundamento toties memoratæ Constitutionis 1635. naturali ordine sequitur quæstio, utrum etiam super Decimis ex agris rusticorum Compositio prætendi possit? Respondendo ad hanc difficultatem impossibile est expressam Legem adducere, scientibus tamen historiam Gentis suæ, temporumq; circumstantias, quæ ad has vel illas Leges Rempublicam inclinarunt; notum est perbelle, Decimas rusticorum nunquam fuisse materiam litigiorum inter Ordinem Spiritualem, & Equestrem,

ſtrem, sed solas tantum ex agris Nobilium. Nunquam fuit in mente Reipublicæ extendere Privilegium de Compositionibus ad Decimas ruſticorum, nam totus & unicus scopus erat utriusque Supremæ Poteſtatis, ut Nobiles mediante Compositione Decimas suas manipulares, in pecunias commutarent, prout docet Breve Urbani VIII. & Leges allegatæ. Sunt quidem verba Conſtitutionis 1635. = *Habendo reſpectum in desolationes, & onera pauperum hominum* = sed hæc non denotant ſtatum ruſticorum, aſt *Nobiles inopes*, qui in antiquioribus Conſtitutionibus, & tributorum sancitis ante Annum 1635. taliter appellari solebant, quod cuique legenti evidens eſse poteſt. Solis duntaxat Nobilium Curiis, & nemini amplius, nec illorum Subditis beneficium Compositionis in Conſtitutione 1635. concesſum eſt, sicut integer illius contextus in ulterioribus expreſsionibus obloquitur. Non poſsunt igitur Communitates ruſticanæ Bonorum Terreſtrium in fundamento alicujus Legis Compositionem ſuper Decimis suis prætendere, siquidem talis Lex non reperitur, sed tenentur in manipulis, cui debetur extradere. Si tamen jam alicubi facta eſt etiam cum Communitatibus Subditorum Compositio Authoritate Loci Ordinarii firmata, jam in nullo Judicio Regni reasſumi attentariq; poteſt, siquidem propter obten-

obtentas solemnitates perpetuitatem acquisivit.

Sed non desunt aliquorum Nobilium prætensiones, quatenus ipsi super Decimis à Communitate Subditorum suorum provenientibus Compositionem faciant, quatenus eas ipsi exdecimentt, ac in proprium emolumentum convertant, Spirituali autem jus ad illas habenti, quotam aliquam pecuniariam offerant, qua in materia poſsent etiam nonnullorum Judiciorum Decreta afferri. Talia prætendentes, & similiter judicantes blandiuntur sibi, & aſserunt se in fundamento Legum procedere. Aſt ubinam in Legibus noſtris reperiatur saltem apparentia aliqua talis injuſtitiæ? Qualibet injuria in Decimarum præſtatione perpetrata injuriantes communiter provocant ad Bullam Urbani VIII, & eo quidem commodiùs, quòd de ea aliquid audierint, sed ipsam legerint nunquam. Permisit Bulla præfata, permiserunt cum illa Leges Regni Nobilibus commutationem Decimæ manipularis in pecuniariam mediante Compositione ex Agris Curialibus, sed nunquam permiserunt, quatenus Nobiles poſsent emere à Spiritualibus jus percipiendi Decimam in manipulis ab Oppidanis suis aut ruſticis: nam longè aliud eſt liberare seipſum per Compositionem à danda manipulari Deci-

 ma,

ma, & aliud, acquirere pro ſemper jus exdecimandi in Agris cujuſpiam alterius. Prætendendæ Compoſitionis ſuper Decima Curiali Nobilem capacem fecit vis Legis, quæ etiam Spirituali permittit inire ejusmodi Compoſitionem tanquam mutuum Contractum ex Authoritate Supremarum Poteſtatum valore & legitimitate gaudentem: ſed quænam Lex capacem fecit, ut poſsit prætendere à Spirituali acquiſitionem juris perpetui percipiendi Decimam in manipulis à ſuis Oppidanis vel ruſticis? quænam similiter Spirituali permittit, ut ejusmodi jus exdecimandi poſsit Nobili pro ſemper vendere? Utique ad validitatem cujuslibet Contractus neceſse eſt, ut Partes contrahentes habeant poteſtatem ex vi Legum Regiminis illius ſub quo vivunt ineundi talem Contractum, nam aliter invalidus eſt. Neque Judicium aliquod, etiamſi supremum; Nobilem capacem facere poteſt acquirendi jus perpetuum percipiendi ab aliquo Decimam in manipulis, ſiquidem id nulla Lex permiſit, & jam ſuperiùs dictum eſt, Magiſtratus Judiciarios, quantumvis ſupremos; cùm tantùm Legis executores ſunt; non poſse aliquod privilegium conferre, quod per Legem non eſt expreſsè permiſsum. Nec de quopiam opinandum eſt, quòd non ſatis accurata inſtructus Logica ex hac animadverſione vellet hoc loco objectionem forma-

formare, dicendo: & quarenam Spirituales Decimam vendere consveverunt? nam aliud eſt vendere Decimam currenti Anno colligendam, id eſt manipulos in agro ex illa provenientes, & longè aliud, transferre in aliquem jus perpetuum ad eam in manipulis percipiendam. Conſiderationi huic ſuperaddendum adhuc: appellationem *Decimarum Nobilium* nunquam ad eam amplitudinem extendi poſse, ut non tantùm *Curiales*, ſed etiam *ruſticorum Decimas* complectatur, nam antiquiſsimæ Leges Regni diverſæ illas naturæ, diverſæ ſpeciei eſse agnoverunt, ſimulq; diverſis obligationibus ſubeſse fecerunt. Hac de re utique expreſsè convincit Lex = *Vol. 1. fol. 101.* §. *de Decimis per Nobiles cultis, arendatis, aut à Cmethonibus habitis.* = Videre in illa eſt, quod qui Cmethonem ab agro illius amovet, eundemq; ipſemet conſeminat, illico iisdem reſpectu Decimæ obligationibus ſubjicitur, quibus dictus Cmethonalis ager ſubjectus fuit &c. Porro cùm Lex multiplex ſubſtantiale diſcrimen inter Decimas Nobilium & ruſticorum poſuit, illaque in toto ſui robore ad diem hodiernam exiſtit, neque enim hucusque poſteriori Lege vel ſublata vel immutata eſt; nemo debet aut poteſt easdem in unum commiſcere, & ſub Privilegium Compoſitionis Curiis Nobilium conceſsum Decimas ruſticorum trahere.

§. III.

§. III.

DE LIBRIS BENEFICIORUM.

Hucusque sermo fuit de præſcriptis Legum Regni reſpectu Decimarum, de regulis, quas in hac materia Supremæ Poteſtati ſtatuere placuit, expedit ad præſens mentionem facere de Documentis quæ jura & pertinentias Decimarum ad Ecclesias ac Spirituales Personas in particulari evincunt. Prima Spiritualium & Ecclesiarum in particulari jura sunt Erectiones, sed admodum paucæ tam felices exiſtunt, quæ Originales ante Annum 1440. conſcriptas conservatas retineant, poſteriùs tamen fundatæ, non raro genuinas præsentant. Æquè iniquam cum Ecclesiis sortem hoc in puncto experta sunt Archiva, tam publica Regni, quam etiam Palatinatuum, & primarum Gentis noſtræ Familiarum. Quàm admodum pauca habemus Originalia Statutorum publicorum sive formam interni regiminis sive fœdera cum extraneis continentium, sæculo decimoquarto facta! quàm pauci reperiuntur amplisſimorum ad præſens Bonorum Hæredes, qui hodie sint in ſtatu documentis Originalibûs datâ suâ saltim sæculum decimum quartum attingentibûs evincendi, Bona quæ poſsident per resignationes legitimorum Hæredum continuo sibi succedentium

dentium ad illos pervenisſe! Negligens illis sæculis sicut ubique, ita multò magis in Polonia Archivorum cuſtodia, bella continua præcipuè cum Tartaris, incendia ligneorum ædificiorum frequenter practicari solita; effecerunt, quòd communiter omnia noſtra Archiva, tam Sæcularium quàm Spiritualium, tam publica, quàm Diſtrictuum, admodum sint defectuosa, aut non multùm remotæ antiquitatis Transactiones deſcribere incipiant. Idcirco, quæ Ecclesiæ originalibûs Erectionibûs deſtitutæ sunt, habent illas *æquivalenter* in Voluminibus = *Libri Beneficiorum* = appellatis, quorum conſcriptionis tempus, prout sunt in Diæcesi Cracoviensi; innuetur hic propter exemplum. Hæc autem intitulatio duobus Voluminibus servit. Unum appellatur propriè *Liber Beneficiorum*, sine ullo addito, & hìc in Diæcesi Cracoviensi ab antiquo de sua data allegatur sub Anno 1440. (a) alterum dicitur

(a) De data Libri Beneficiorum, juxta quam Extractus de eo depromuntur, apponenda necesſario eſt sequens animadversio. — Prudens Lectòr facile judicabit opus tantæ molis, uti eſt Liber Beneficiorum; (in quo Episcopatûs, Ecclesiarum omnium & Monaſteriorum vaſtisſimæ olim Diæcesis Cracoviensis dotes & proventus enuntiantur) non unius Anni, sed plurium labore coufici potuisſe. Ipsemet hujus

tur cum addito = *Liber Retaxationum Beneficiorum* = de Anno 1529. Ambo ista Volumina intitulata = *Libri Beneficiorum* = sunt verè Erectionalia Ecclesiarum. Paucæ sunt in Archivis Districtuum Transactiones, quæ priorem Librum Anno 1440. conscriptum, antiquitate superent. Priusquam adhuc præfati Libri Lege publica pro Erectionalibus essent agniti, omnia Suprema Regni Judicia incipiendo à Comitialibus, nempe Relationum, Assessorialia seu Cancellariorum, Referendariorum, ac Tribunalitia acceptabant illos tanquam dignos respectu & fide, tanquam documenta substantialia, Originalia, nullam exceptionem admittentia. Frequenter id legendum occurrit in Protocollis ejusmodi Supremorum Magistratuum. Convenienter hoc loco afferri potest particula Decreti, à Judicio Relationum regnante *Sigismundo III.*

Anno

Libri venerandus Scriptor *Joannes Dlugossus* Senior in præfatione descriptionis Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis adnotavit, quod cum in Anno 1440. descriptionem Bonorum, Castrorum, Oppidorum, Villarum, Decimarum, omniumque Jurium Episcopatûs Cracoviensis, seu Mensæ ipsius Episcopalis absolvisset, per alios sequentes vitæ suæ Annos descriptioni Ecclesiæ Cathedralis, ac reliquarum Ecclesiarum & Monasteriorum Diæcesis Cracoviensis operam suam navare aggres-

Anno 1614. Feria 6ta post Festum Sanctæ Luciæ, inter Scholasticum Cracoviensem & Oppidanos Zathorienses, in hoc verborum contextu prolati = Nos cum Consiliariis nostris
„ lateri nostro assidentibus, audita & bene
„ considerata partium controversia, eoque
„ considerato, quòd Actor ex Libro Be-
„ neficiorum Ecclesiæ Cathedralis Craco-
„ viensis (cujus semper certa & indubitata
„ apud Nos & Divos Antecessores nostros
„ habita fuit fides & authoritas) excer-
„ ptum coram Nobis produxit, ex quo ma-
„ nifestè apparet: Scholasteriæ quidem
„ Cracoviensi à primæva fundatione Deci-
„ mam manipularem ex Oppido Zator at-
„ tributam, & in proventu illius relatam
„ fuisse &c. =

Verùm

---

sus erat. — Dum igitur successu temporis convenire existimabatur in Extractibus de hoc Libro depromi solitis datæ ejus mentionem fieri, consultum tunc visum fuit eum Annum ex pluribus uti normalem ad hanc exprimendam seligere, nempe Annum 1440, in quo *Dlugossus* se descriptionem Bonorum & proventuum Episcopatûs Cracoviensis confecisse memoriæ tradidit. Hic itaque Annus à Sæculis circa Extractus de Libro Beneficiorum adnotari solet, in quo primarii Diæcesis Beneficii scilicet ipsiusmet Episcopatûs seu Sedis Episcopalis Cracoviensis quò ad ejus Bona,

Verùm, ne ab ipsis duntaxat Judiciariorum Magistratuum Decretis præfati Libri authoritatem habere viderentur, successu temporis Suprema Legislativa Potestas verè esse Erectionales agnovit regnante Vladislao IV. per Constitutionem in Comitiis 1635. *Vol. 3. fol. 858. tit:* = *De Libris Beneficiorum* = cujus series, superiùs per extensum allata est. Neque verò præfata Volumina cum *Libris Visitationum* confundi, vel eorum titulo appellari debent, nam Libri Visitationum in ipsis etiam Spiritualibus Judiciis habentur pro Documentis privatis, unilateralibus, & tantùm penes alias majores & authenticas probationes adminiculum aliquod Parti in Causa afferre possunt, jam verò *Libri Beneficiorum* in gravi necessitate Reipublicæ propter danda subsidia pecuniaria Patriæ calamitosis temporibûs ex voluntate Supremæ Regni Potestatis conscripti (& eorum secundus, nempe *Retaxationum* etiam juramentô cujuslibet Spiritualis firmatus) maxima cum æquitate à Suprema Potestate agniti sunt pro Erectionalibus Ecclesiarum Fundationumque Cleri.

Castra, Oppida, Villas &c. descriptio absoluta erat, quamvis ulteriùs per reliquam Scriptoris vitam idem Opus Libri Beneficiorum continuatum fuisset. — Quod callentibus Historias variorum Tractatuum, ac etiam Comitiorum Polonorum, non novum profecto accidit. — Etenim plures Tractatus, tametsi in iis stipulandis aliquot Anni exacti fuerint, tamen secundùm Annum, in quo vel inchoati

Convenienter admodum hoc in loco adduci possunt motiva conscribendorum præfatorum Librorum ex *Andrea Lipski* præclaro Gentis Polonæ Viro, primùm Supremo Regni Cancellario, dein Cracoviensi Episcopo, qui datis publicæ luci doctis in Jure operibus eximiam sibi comparavit famam, & in Libro Anno 1616. typis impresso sub titulo = Quæstionum publicarum Decas = quæst: 1. n. 17. de Libro Beneficiorum istud Posteritati reliquit = In omni-
„ bus Cathedralibus Ecclesiis Codices ve-
„ tustissimi, iique omni exceptione majo-
„ res reperiuntur, (qui vulgo Libri Benefi-
„ ciorum appellari solent) in quibus omni-
„ um

vel finiti erant, allegari consueverunt. Id quoque in usu est respectu plurium Poloniæ Comitiorum, quod licet per aliquot Annos celebrata, vel in uno incepta, in altero autem conclusa fuissent, nihilominus juxta unum citari solent, ut, prætermissis antiquioribûs, compertum est de his quæ currenti Sæculo peracta fuere, exempli gratia Annorum 1717. 1768. 1775. &c.

„ um & singularum Præbendarum, Cano-
„ nicatuum, Parochialium, & aliorum Be-
„ neficiorum, dotes, atque redditus, tam
„ ex Decimis, quàm ex Censibus, aut
„ prædiis, seu villis provenientes, egregio
„ ordine, optimaque, & indubitata fide
„ connotati reperiuntur. Extat in Basilica
„ quoque Cracoviensi hujusmodi Liber à
„ doctissimo illo Viro, optimoque sene
„ *Joanne Dlugosso* majore, Canonico Cra-
„ coviensi Anno Domini 1440. sanctè &
„ religiosè compositus, atque in charta per-
„ gamenea accuratissimè conscriptus; ut
„ ex ipsius styli, atque characteris vetu-
„ state, opus illud non novum, aut artifi-
„ cio aliquo comparatum, sed ante tot
„ sæcula literis traditum, quivis facilè ju-
„ dicare possit. Causam verò hujus ope-
„ ris hanc fuisse animadverti, quòd Po-
„ lonia bellis Turcicis, atque Tartaricis
„ pressa, opem Summi Pontificis implo-
„ raverit, atque ab eodem Decimam De-
„ cimæ ab Ecclesiastico Ordine pendi so-
„ litæ, in subsidium contra Paganos po-
„ stulaverit. Ut autem earum Decimarum
„ modus & ratio, meliùs exactiusque con-
„ stare posset, à *Sbigneo* Cardinali Epi-
„ scopo Cracoviensi prædicto *Dlugosso* id
„ oneris impositum fuit, quo is permodum
„ Visitationis generalis, de usu & posses-
„ sione earum Decimarum, quæ & quales
„ sin-

„ singulis Beneficiis tunc temporis appli-
„ catæ essent, sedulo inquireret, eaque
„ omnia diligentissimè literis connotata, in
„ Archivum Ecclesiæ ejusdem referret. =

De altero autem Volumine *Liber Retaxationum Beneficiorum* vocitato inferiùs Nro 18. sequentia scripsit. = Nec minor procul
„ dubio librorum quoque Retaxationum
„ fides & authoritas esse debet; nam &
„ hi non in favorem Cleri, sed pro usu
„ & commodo Reipublicæ conscripti esse
„ censentur. Cùm enim pro defensione
„ Reipublicæ (ut verbis Statuti loquar) &
„ tuendis finibus Christianorum ab incur-
„ sione Infidelium, & liberatione captivo-
„ rum de potestate ferocissimæ gentis Tar-
„ taricæ, contributio sciscеretur; Ordo
„ quoque Ecclesiasticus eam pientissimi Re-
„ gis *Sigismundi primi* defendendæ Patriæ
„ curam & solicitudinem egregiam pro mo-
„ dulo suo promovere cupiens, facilè huic
„ contributioni assensum suum præbuit. Ac
„ proinde, ut eò diligentior hujusmodi con-
„ tributionis exactio fieret, placuit eidem,
„ præviis juramentis Beneficiatorum, no-
„ vam omnium Beneficiorum Ecclesiasti-
„ corum taxam, seu descriptionem institue-
„ re, qua nimirum, qui singulis Benefi-
„ ciis accesserunt, tum qui successu tem-
„ poris ab illis abstracti sunt proventus,
„ liqui-

„ liquidò constaret. Nemo autem præsu-
„ mitur voluisse tunc temporis augere Be-
„ neficiorum suorum redditus, siquidem
„ tantò major contributio illi solvenda
„ erat, quantò ampliora & pinguiora Be-
„ neficia possideret: quemadmodum neq;
„ Sæculares fundorum suorum auctionem
„ fieri libenter patiuntur, quinimo quando
„ publicè aliquid contribuendum illis est, mox
„ ad Regestra Anni 1578. tanquam ad sa-
„ cram anchoram confugere solent. =

Quòd Liber iste Retaxationum Beneficiorum Anni 1529. juramentò firmatus, conscriptus, & ad finem perductus sit vigore Legis publicæ Annô 1527, legere id quisque potest Vol. 1, fol. 481. in sequenti verborum contextu = „ Et quoniam in omnibus
„ Palatinatibus, & Districtibus Domini Spi-
„ rituales habent bona sua Ecclesiastica,
„ seu fundos; quæ licèt nunquam aliàs sub-
„ jecta erant oneri bellicæ servitutis: ùt
„ quæ per Serenissimos Prædecessores No-
„ stros Poloniæ Reges, & Duces sunt ab
„ initio fundationis Ecclesiarum ad usum
„ duntaxat & onera Ecclesiæ collata, mul-
„ tisque immunitatibus & libertatibus do-
„ nata; tamen in præsenti Regni necessi-
„ tate, & summo discrimine, volentes
„ ipsi Domini Spirituales sibi & Ecclesiis
„ suis gratiam Nostram Regiam demereri;
„ fra-

„ fratribus verò suis Dominis Sæcularibus
„ gratificari, Reipublicæ (pro cujus bo-
„ no statu orare tenentur) ope sua non
„ deesse; permiserunt etiam non grava-
„ tim bona sua Ecclesiastica hactenus sem-
„ per libera, cum his, quæ ad defensionem
„ obligata sunt, in præsens taxari: ita ut
„ bona Dominorum Sæcularium taxabun-
„ tur. Et proinde Domini Archi-Episco-
„ pi & Episcopi, designabunt duos Viros
„ Ecclesiasticos, bonæ fidei, & conscientiæ
„ ad quemlibet Palatinatum, qui, una cum
„ taxatoribus per Palatinum, Castellanos,
„ Officiales, & Nobilitatem electis seu
„ eligendis, taxabunt bona omnia tam Spi-
„ ritualium, quàm Sæcularium Personarum:
„ & hi cum Palatino & Castellano primario,
„ ac duobus Nobilibus electis, capitalem di-
„ strictum obequitabunt per singulas Paro-
„ chias, & simul cum illis bona ejusdem di-
„ strictus taxabunt, & æstimabunt, modo
„ suprascripto, secundùm DEUM, & con-
„ scientiam, sublato amore, favore metu,
„ prece, odio, &c.

Et quandoquidem jam Historia *Librorum Beneficiorum* satis amplè deducta est, restat adhuc propter notitiam superaddere, expressione ista *Libri Beneficiorum*, = *Solvitur Decima manipularis* = non significari Decimam pecuniariam, prout nonnulli inferre præten-

prætendunt, nisi fortè scriptum fuerit = *solvitur in grossis*, *in scotis*, *in fertonibus*, *in Marcis* &c: sine addito = *manipularis*, = nam tunc talis expressio designaret Decimam pecuniariam in moneta illius sæculi.

Cæterum expressio = *solvitur manipularis*, *solvitur manipulatim* = designat in manipulis reddendam; juxta stylum illius temporis, prout quilibet Legum Regni peritus convinci potest legendo *Volumen 1. fol: 99. 100. 101.* &c: aut Herburtum sub voce = *Decimæ* =, vel Januszovscium (cujus collectio Legum & Statutorum typis impressa est Anno 1600.) tit: de Decimis, & insuper tantò fortiùs, quòd ubique fere *in Libro Beneficiorum* dum dicitur = *solvitur Decima manipularis* =, illicò sit additum = *& conducitur ad horreum* = &c: quod satìs apertè convellit objectionem Decimæ pecuniariæ.

Exempli causâ afferuntur hìc aliquot verba ex Lege Latino idiomate scripta, quæ *Vol: 1. fol. 97. de Decimis seminatorum in hortis* sic sonat = *Ubicunque aratro in hortis, vel campis aratum fuerit, Decima plenariè exsolvatur, exceptis rapis, papavere, caulibus* &c: = Quod *Herburtus* in Statuto Polonico de mandato Comitiorum in Polonicum vertit, & ex illo *Januszovscius* fol. 227. è diametro textûs Latini adducit, eo tamen modo, ut in Polonico à verbo = *exsolvatur* = abstinuerit, sed loco illius verbum = *detur* = posuerit, ubi vìdere est, quod voces istæ = *plenariè exsolvatur*, = designent = *plenariè extradatur*. =

Id ipsum videri potest in Privilegio Vladislai Hæreditarii Ducis Masoviæ Anno 1446. ac proinde statim post sex Annos à conscriptione *Libri Beneficiorum* Diæcesis Cracoviensis concesso, quo ultimatè & exactissimè extraditionem Decimarum in Ducatu Masoviæ ordinavit, quod temporibus illis voces istæ = *solutio Decimarum* = extraditionem earundem in manipulis designabant, prout sequens textus evincit „ Cives, Oppidani, Cmethones agros colentes nostri Ducatûs, nec non omnium Nobilium Terrigenarum, more & consuetudine Terrarum nostrarum Masoviæ in Decimis hujusmodi, & ipsarum *solutione seu Decimatione* tentis & servatis, Decimas manipulares cujuscunque grani & seminis dare & sòlvere tenebuntur, & præterea Cmethones, ad *ducturam ejusmodi Decimarum* erunt perpetuò obligati &c.

Quodsi verò ad confirmandam præfatam significationem, aliquid hoc loco ex Jure Ecclesiastico innui possit, curiosus quisque inspiciat Constitutiones Provinciales, Lib.

Lib. 3. fol. 187. ubi ejusmodi præſcriptum inveniet = utjuxta Juris diſpoſitionem Deci-
„ mæ manipulares, de quolibet grano, *in*
„ *agro perſolvantur* =, & inferiùs, = ne ali-
„ quæ Sæculares vel Eccleſiaſticæ Perſonæ
„ ſolutionem Decimarum, in hac Provincia
„ tam laudabiliter obſervatam *commutare*
„ præſumant *in pecuniariam penſionem* = In Priori textu expreſsio = *in agro perſolvantur* = in poſteriori = *ne præſumant commutare in pecuniariam penſionem* = satìs ſuperque evidenter Decimam in manipulis, non verò in pecunia reddi debere denotat.

Verùm & hæc inſuper animadverſio evincet, quod per expreſsionem = *ſolvitur manipularis* = Decimam non aliam, quam in manipulis reddendam ſæcula illa intellexerunt, ſiquidem tunc temporis de Compoſitionibus, deque commutatione Decimæ manipularis in pecuniariam nec cuipiam ſomniatum fuit: ſiquidem tam Hiſtoria quam Collectiones Legum noſtrarum nullum rei hujus veſtigium exhibent. Fuerunt quidem nonnullæ controverſiæ in materia Decimarum regnante *Caſimiro Magno*, ſed alterius prorſus generis, non verò de Compoſitionibus, prout quemque convincit Statutum Vol. 1. à fol: 95. ad 104. Tempora modoprimùm poſteriora *Sigismundi Auguſti*, tempora multitudine ſectarum, varietate opinio-

opinionum Religioſarum repletà cæperunt in Incolis à Fide Orthodoxa alienatis generare murmurationes de Decimis, quæ magìs ac magìs communiùsque invaleſcendo, modoprimùm regnante *Stephano* his verbis = *Compoſitio ſuper Decimis* = prima vice in Legibus noſtris Anno 1578. Vol. 2. fol. 940. locum fecerunt, quæ tamen Compoſitio à Comitiis ad Comitia in dilationem miſsa, longoq; tempore ex occaſione ipſiusmet Statûs Sæcularis ſine effectu exiſtens, atque odia inter Ordinem Spiritualem & Equeſtrem ſeminans modoprimùm ultimam reſolutionem in Conſtitutione 1635. recepit.

Notitiæ Cauſarum Decimalium expedit mentionem adjungere de cauſa magno motu agitata, non ita pridem, nam modoprimum Anno 1770. inter M. D. *Szamocki* Vexilliferum Varſavienſem & Jlluſtriſsimum Capitulum Cathedrale Poſnanienſe univerſumque Clerum Ducatûs Maſoviæ ad finem perducta, inde autem exorta, quòd M.D. Vexillifer, habendo litem cum A. R. Parocho Zbikovienſi de Decimis Curialibus; prætendebat evincere: Nobiles Ducatûs Maſoviæ liberatos extitiſſe à reddendis Decimis vigore Privilegii à Vladiſlao Duce Hæreditario Maſoviæ Anno 1446. conceſsi, ſuperiùs allegati, in quo prima vice erroneè typìs impreſſo, & iterum ex eadem erronea copia aliquo-

aliquoties reimpresso M. D. Vexillifer fere fortuitò invenit vocem *non* inter verba = *dare sint adstricti* = intrusam, indeq; sua argumenta ducebat. Deventum itaq; est ad necessitatem quærendi & comportandi Originale, ac postremo, post prolata varia in judicio Terrestri Varsaviensi Decreta; eo res perducta est, ut Partes viam Compromissi elegerint subjiciendo se Sententiæ celeberrimi in Patria Viri Jllustrissimi *Andreæ Zamoyski* Ex-Cancellarii: sed protinus disparere debuit abblandiens illud = *non* = affulgente claritate Documentorum contra ipsum ex adverso positorum, prout amplè enunciat Decretum Compromissoriale ad Acta Castri Varsaviensis sub die 22. 7bris 1776. ac sub die 25. ejusdem Mensis & Anni ad Acta Castri Czerscensis porrectum, siquidem & ipsum Orginale præfati Privilegii, & Confirmatio ejusdem per *Sigismundum Augustum* Anno 1557. similiter Originalis, nec non Oblata sæpedicti Privilegii in Actis Consistorii Generalis Gnesnensis Anno 1451, ad extremum Protocollum & Acta Jllustrissimi Capituli Posnaniensis illo sæculo Privilegium insertum habentia judicialiter producta dictum = *non* = minimè ostenderunt, quinimo in contrarium evicerunt, per illud Privilegium evidentissimo modo omnes incolas Ducatûs Masoviæ, Nobiles, Oppidanos, & rusticos, ad

ad reddendam in manipulis Decimam obstrictos esse, & mandato Domini Hæredis compelli debere. A sola duntaxat Decimarum suarum Curialium convectione Nobiles liberati sunt, nihilominus ad extradendum etiam stramen de suis Decimis obligati.

§. IV.

DE MONETIS.

Quoniam facta est superius mentio, quod nonnullæ Ecclesiæ præsentent jus ad Decimas pecuniarias *in grossis, scotis, fertonibus, Marcis, sexagenis*, & ipsimet Libri Beneficiorum sæpe exprimunt valorem pecuniarium illius temporis Decimæ manipularis in verbis = *Solvitur Decima manipularis, conducitur ad horreum, & valor ejus æstimatur ad marcas sex &c:* = quocirca necessarium est afferre hoc loco brevem informationem de speciebus ejusmodi pecuniarum & proportione valoris illarum ad hodiernam monetam. Aureus Nummus (præcipuè Hungaricalis) est pecunia, quæ à multis sæculis in uniformi pondere & præstantia metalli servata, indicat semper æstimationem & valorem pecuniarum argentearum pro illo numeratarum. A sæculis eadem fere semper servata fuit proportio argenti

genti

genti ad aurum, quæ & hodie in monetis argenteis, sed harum ſpecies, tam reſpectu præſtantiæ argenti, quàm etiam reſpectu ipſorummet nummorum, nunc in majori, nunc in minori mole elaboratorum freqnenti admodum mutationi obnoxiæ erant, ac proinde valde diverſas æſtimationes, commutationesque aurei nummi pro argentea moneta intra decurſum sæculorum efficiebant. Et ita: regnante *Caſimiro Magno*, *Ludovico*, *Vladislao Jagellone*, *Vladislao Jagellonida*, *Caſimiro Jagellonida*, usque ad tempora *Joannis Alberti*, pro uno aureo nummo numerabantur in Polonia groſsi argentei quatuordecem, deinde sexdecem, prout enunciat Ordinatio Salis fodinarum Anno 1368. (*Vol.* 1. *fol.* 160.) sub Anno 1451. inter Leges *Caſimiri Jagellonidæ* collcata. In Anno 1496. regnante *Joanne Alberto* numerabantur groſsi 30. (*Vol.* 1. *fol.* 266.) in Anno 1505. sub *Alexandro* groſsi 32. (*Vol: eodem: fol:* 306.) in Anno 1598. sub *Sigismundo III.* groſsi 58. (*Vol:* 2 *fol.* 1453.) in Anno 1611. sub eodem Rege, numerabantur pro aureo nummo groſsi 70. (*Vol:* 3. *fol:* 15.) Hæc fuit ultima pro aureo nummo *groſsorum* numeratio, & durabat ad Annum 1620. à quo incepit nova numeratio *florenorum* pro aureo nummo, & ita eodem Anno 1620. sub *Sigismundo III.* æſtimatus fuit aureus nummus florenis quatuor (*Vol:* 3. *fol.* 372.) Anno 1650. Commiſsio ad ordinandam Officinam nummariam Conſtitutione Comitiorum 1649. sub *Joanne Caſimiro* (*Vol:* 4. *fol.* 288.) deſignata mandavit pro aureo nummo numerari florenos sex. Poſtmodum Conſtitutio 1679. sub *Joanne III.* (*Vol:* 5. *fol:* 351.) florenos 12. monetæ cupreæ pro aureo nummo acceptari juſsit. Ad extremum Lex 1717. regnante *Auguſto II.* (*Vol:* 6. *fol.* 331.) æſtimavit aureum nummum florenis 18. monetæ cupreæ. Ultimæ autem & recentiſsimæ Conſtitutiones intuitu valoris & curſus monetarum, noſtris temporibus promulgatæ in memoriam revocari non indigent, ſiquidem omnibus notæ, utpote in executione exiſtentes.

Hæc eſt Hiſtoria mutationum in Polonia æſtimationis aurei nummi reſpectivè ad monetam argenteam. Iſtæ tamen mutationes sunt tantummodo numerariæ, nam proportio valoris argenti ad valorem auri, quantumvis penes tot mutationes ſemper fere eadem servata fuit. Siquidem groſsi 70. Anno 1611. pro aureo nummo dari soliti, aut floreni 18. Anno 1717. pro eo præſcripti tantam fere copiam præſtantis argenti continebant, quanta reperiebatur in groſsis 14. regnante *Caſimiro M.* Anno 1368. pro aureo nummo numeratis, verùm tamen groſsi

grosſi iſti antiquiores fuerunt mole sua majores, & puri argenti, quantò autem posteriùs, tantò minores & viliores propter notabilem quantitatem cupri argento admixtam; è nummaria Officina prodibant, ac idcirco etiam aliquoties plures numero pro nummo aureo solvebantur. Hic eſt fons variarum apud nos involutionum, in antiquis Inſcriptionibus Summarum, venditionibus, censibus, Decimis pecuniariis, &c. nam expreſsam in illis monetarum denominationem & numerum ad hodiernam pecuniam referimus, nolendo intrare in cognitionem interni valoris antiquæ. Antiquis sæculis Prædeceſsores noſtri tres fere duntaxat monetarum ſpecies cursum habentes in Contractibus & Inſcriptionibus memorant, videlicet grosſos, Taleros, & Aureos Nummos, qui appellabantur *Floreni Auri* vel *Floreni Hungaricales*, jam verò Sexagenæ, Marcæ, dimidiæ Sexagenæ, fuerunt tantùm numerationes, ut dicitur *ideales*, sive numerales Summæ ex grosſis prodeuntes, nam *Sexagena* denotabat grosſos 60. *Marca* grosſos 48. *Media Sexagena*, poſtmodum *florenus* appellata; grosſos 30. *Ferto* grosſos 12. *Scotus* grosſos 2. Grosſi autem fuerunt duplices, *Pragenses* (ùt aſserunt noſtri Hiſtorici à *Venceslao* Rege Poloniæ & Bohemiæ introducti) & *Polonici*, atq; tam hi, quàm illi in duplici ſpecie noti. *Grosſi lati*

lati qui erant majoris valoris, & *Communes* qui minoris. *Latus Grosſus* continebat in se Denarios 18. *Communis* autem 12. tantum. Cuprea pecunia, eaque in exigua mole; mcdoprimum poſt Annum 1650. ex Officina nummaria Poloniæ prodiens, apparere cæpit. Excudebantur imprimis exigui nummuli, *solidi* dicti, qui in grosſum unum numerabantur quatuor, prout præſcripsit suprafata Commiſsio à Comitiis Regni Anno 1649. aſsignata.

Reflexio ſuper hanc monetarum noſtrarum in minores & viliores ſpecies mutationem ſuperiùs in Chronologia creſcentis cum tempore vilitatis earundem memoratam, in multis admodum Hiſtoriæ noſtræ Legumque materiis, magnum lumen miniſtrat. Legendo in hiſtoria noſtra varias venditiones, utì v. g. Ducatûs Osvecimensîs pro quinquaginta millibus Marcarum grosſorum latorum Pragensium, Ceſsionem Terræ Drochicensis & Wegroviensis pro sex millibus Sexagenarum grosſorum latorum &c, Inveniendo in Legibus noſtris varias taxationes, utì v. g. dum *Casimirus M.* Anno 1347. (*Vol. 1. fol. 24.*) mandat poſt defunctum in Bonis Terreſtribus sine prole Cmethonem procurari ad Ecclesiam Parochialem Calicem cum Patena sesqui altera Marcâ, dum *Vladislaus Jagello* Anno 1433. (*Vol.*

(*Vol.* 1. *fol:* 113.) innovando taxationem propter personas militares, præscribit, quatenus solvant pro bove mediam marcam, pro scropha octo scotos &c, dum regnante *Sigismundo I.* Anno 1523. (*Vol.* 1. *fol.* 426.) in forma citationis pro pretio bovis comminatoriè ponuntur marcæ tres, dum *Sigismundus III.* Anno 1609. (*Vol.* 2. *fol.* 1704) novam taxationem propter militares constituit in verbis = Pro Ariete grossi 10. & pellis reddatur, pro porco saginato floreni duo &c. dum idem *Sigismundus III.* Anno 1620. (*Vol.* 3. *fol.* 370.) præscribendo valorem mercium; interdicit = ne mercatores ulnam holoserici cujusvis coloris majori pretio quàm florenis 4, telæ autem sericæ densæ ac detersæ, nec non telæ sericæ florulentæ operis Damasceni quàm sesqui tertio floreno divendant. = Talia inquam, & his similia legendo, si proportionem appositarum taxationum ad valorem hodie currentis monetæ non inquiro, nullatenus fieri potest, quin incidam in erroneam opinionem de immenso discrimine inter pretia rerum antiquiora & moderna. Sed dum invenio valorem aurei nummi quolibet Anno in pecuniis argenteis illo tempore pro eo dari solitis, dum valorem earum cum valore hodiernæ monetæ confero & ad æqualitatem reduco, evanescit protinus opinio de infinitè exiguo in antiquitate rerum pretio. Nam facilè convincor, quòd licètsi *pretia rerum* ad certum gradum excreverint, nihilominus non ad tantum prout vulgi existimatio, aut superficialis taxationum antiquarum lectio extollere solet, nam etiam ad præsens florenis proximè centum calix ad Ecclesiam Parochialem procurari, bos florenis 31. in quibusdam Districtibus, & ulna telæ sericæ densæ ac detersæ, florenis 12. emi potest, quæ summæ proveniunt ex antiquis taxationibus superiùs allegatis, & ad cursum hodiernum reductis.

Sed minus esset, quamvis particulares aliqui erroneam in Historia monetarum nostrarum opinionem haberent, nam hæc nemini inferret injuriam, dummodò à Stubis Judiciariis in perpetuum sit remota. Inevitabilis profectò est necessitas, ut in Judiciis tempus Inscriptionum, Contractuum, &c: diligenter consideretur, ut valor pecuniarum in iis expressarum cum valore hodierno comparetur, quatenus non *æquivocum*, hoc est totidem grossi aut floreni, quot in antiqua Inscriptione leguntur, sed *æquivalens*, hoc est integer valor antiquæ monetæ in pecunia hodierna exsolvi demandetur. Habet exempli gratiâ Ecclesia Parochialis ex aliqua villa Decimam pecuniariam, æstimatam in Libro Beneficiorum 1440.

1440. marcis quatuor, aut in Retaxationum 1529. marcis *6.* aut habet aliquis circa Annum 1496. Inscriptionem florenorum 300. Non licet hic sequi *æquivocum*, ut dictæ marcæ hodiernis grossis cupreis, aut floreni nummis sub nomine florenorum currentibus exsolvantur, nam pro illis Anni 1440. marcis quatuor debentur hodie plus quàm 13. aurei nummi, pro illis autem 6. Anni 1529. aurei 9. jam verò pro florenis 300. Anni 1496. aurei nummi 300. siquidem in grossis 192. quatuor marcas efficientibus aureus nummus per quatuordecim grossos numeratus, continetur vicibus 13. & adhuc supersunt $\frac{10}{14}$ sive $\frac{5}{7}$, in grossis 288. marcas sex constituentibus, numeratus per grossos 32. reperitur novies, in florenis 300. numeratus per grossos 30. invenitur vicibus 300. Quod propter exemplum affertur, ad convincendum, quòd tali modo per omnes superiores & inferiores Annos procedendum sit. Porro quemadmodum hodie omnes Nationes, omnes Argentariæ (seu negotium Campsorum & Cambiatorum exercentes) relativè ad aureum nummum monetarum suarum valorem constituunt, ita similiter in Judiciis per valorem aurei nummi valor antiquiorum monetarum respectivè ad valorem modernarum decernendus est. Hæc est mens vetustissimarum Legum nostrarum, hoc ab antiquis admodum temporibus Judiciarii nostri Magistratus executioni demandant.

Adhuc Anno 1447. (*Vol: 1. fol.* 154.) quando *Casimirus Jagellonides* sanciebat, ut pecunia minutior in toto Regno acceptaretur, præcustodivit statim additamenta propter eos, qui in Inscriptionibus aliam monetam haberent. = *Pro medio lato grosso novem denarii minutæ & braczatæ pecuniæ recipiantur, ad latos autem grossos Pragenses, qui eos in suis obtinent censibus fiant additiones secundùm cursum communem inter Mercatores currentem.* = & iterum in altero loco (*fol:* 155.) = *quod pecunia braccata recipiatur. Nisi forte aliquis de jure pro Censibus & Decimis fertonalibus debeat exigere latos grossos, monetæ Pragensis* = & adhuc semel inferiùs *fol: 156.*) = *Inter Creditores verò habentes Inscriptiones super mediantes taliter est statutum; quod quilibet talium pecuniam sibi ante hanc dispositionem inscriptam juxta continentiam Literarum suarum liberè exigat in moneta in ipsa Inscriptione expressa. Deinceps verò non nisi minuta pecunia, vel simpliciter marcæ monetæ & numeri Polonicalium inter Creditores inscribantur.* = In Correctura Tribunalis Regni Anno 1726. (*Vol. 6. fol.* 437.) admodum clarum legitur edictum. = Præcustodimus & statuimus, quatenus *abhinc* sicut omnes aliæ Summæ,

„ ita

„ ita etiam reemptionales, quæ *in futurum* „ in Bonis locabuntur, moneta *in Contractu expressa, valore autem in Regno currenti* exsolvantur. = Hic ipse profectò & non alius Legis istius scopus fuit, quem habuit *Casimirus Jagellonides*, ut nempe realis valor monetæ antiquæ (hoc est, quantum in ea puri argenti reperiebatur) in monetis posteriùs excusis, licèt *quantitate numerica* auctis redderetur, eum fere in modum, sicut dum hodie quispiam contrahit debitum florenorum 100. nummis sub nomine florenorum currentibus, illudq; postea vult exsolvere grossis argenteis, re vera pro illis florenis 100. debet numerare grossos argenteos 400. nam sive consideretur quantitas argenti puri, sive valor respectivè ad aureum nummum, tantus est in grossis 400. quantus in florenis 100. Non conjectura aliqua, sed Status Reipublicæ ita interpretati sunt Constitutionem 1726. in Comitiis 1766. tit: = *Constitutio valoris, & cursus monetarum* = inquientes. „ Et dum juxta modernam coæquationem „ monetarum *in valore intrinseco*, aureus „ nummus, qui juxta Constitutionem Anni „ 1717. hucusq; cursum habuit in florenis „ 18, nunc depressus est ad florenos Polonicales 16. grossos 22. & ½, propterea „ conservando integritatem Contractuum „ & quarumvis Transactionum, ad mentem „ Con-

„ Constitutionis Anni 1726. monetam in „ Contractibus expressam, valorem autem „ in Regno currentem præcustodientis, de„ claramus: Quòd Debitores exsolvendo „ Summas tam Spirituales, quàm Sæcula„ res, imò etiam à Mercatoribus mediante „ Scripto vel Cambio contractas, quamvis „ in Scripto numerica tantùm aureorum „ nummorum species expressa esset, eas„ dem Summas moneta in Contractu de„ scripta, valore autem ad præsens con„ stituto, hoc est addendo ad quemlibet „ aureum nummum grossos argenteos quinq; „ & pro quolibet antiquo floreno; moneta „ concesso, modernum florenum, hoc est „ quatuor grossos argenteos, reddendo ex„ solvere tenebuntur. = Et iterum inter Constitutiones Ducatus Lithvaniæ in iisdem Comitiis Anno 1766. tit: = modus solvendi Summas. = „ Tymphonibûs verò & Bissextariis contractæ Summæ, siquidem va„ lor hujusmodi tymphonum & bissextario„ rum per coæquationem valoris interni ad „ præsens est diminutus; proinde non adhæ„ rendo anteriori dictorum tymphonum, & „ bissextariorum valori; juxta valorem *ad „ præsens* constitutum exsolvi debent *in quan„ titate* florenorum in Inscriptionibus expres„ sorum, numerando pro tymphone grossos „ cupreos 27. pro bissextario grossos 10. „ aut nova monetâ, reddendo pro quolibet „ flo-

„ floreno in Inscriptionibus expresso, flore-
„ num in specie nostræ novæ monetæ „ =
Id ipsum confirmatum est in Comitiis 1768.
fol. 140. item in Comitiis 1775. Tom. 1.
fol: 81. tit: = Retentio *pedis monetarii.* =

Sed Decretorum etiam Judicialium, quibus mens Legis demonstrari solet; plena sunt Acta variorum Magistratuum, quæ evincunt, antiquarum monetarum valorem respectivè ad valorem internum posteriùs cursum habentium æstimari debere. Ne multum loci occupent, aliquot tantùm talia afferentur. Sufficientissimum hac in re est Decretum Judiciorum Comitialium Varsaviæ Anno 1641. Feria 5ta ante Festum S. Matthæi Apostoli latum, reperiturq; in Actis Castri Cracoviensts sub feria 3tia post Festum S. Mathiæ Apostoli Anno 1642. in hoc verborum contextu. =

„ Sacra Regia Majestas cum Consilia-
„ riis Regni Lateri Sacræ Regiæ Majesta-
„ tis assidentibus, & Nuntiis Terrestribus
„ controversiis exauditis probeq; trutinatis
„ &c: Quantum verò spectat quæstionem
„ novi emergentis de solvendis antiquis
„ ante hominum memoriam inscriptis Ec-
„ clesiasticis Censibus, utrum moneta ad
„ præsens currenti? an juxta illius tempo-
„ ris, quo Inscriptiones factæ sunt, statum
„ &

„ & probitatem monetæ tunc existentis sol-
„ vendi sunt, nec ne? Sacra Regia Ma-
„ jestas cum iisdem Consiliariis Regni &
„ Nuntiis Terrestribus eandem quæstionem
„ dijudicando decidendoque; habita ratione
„ justitiæ, & æquitatis, tum considerata
„ probatione monetæ, quæ supra Annos
„ centum retroactos non nisi solido argen-
„ to, & auro in Regno hocce constitit; sen-
„ tentiare dignata est, ut deinde census
„ antiqui, tempore memoriam hominum
„ excedente inscripti, attento Inscriptio-
„ num tenore, & juxta ipsius verba sen-
„ sumq; æstimentur. Ubi nimirum in mar-
„ cis argenti puri (ùt in præsenti Con-
„ ventus Tinecensis & præfati *Zabawski*
„ casu) inscriptæ sunt marcæ argenti, ut
„ eædem marcæ puro argento aut pretio,
„ & valore puri argenti pro tempore exi-
„ stenti Ecclesiis, piis locis, & eorum Re-
„ ctoribus seu Administratoribus pendantur
„ & exsolvantur. =

Tribunalitia Decreta reductionem antiquæ monetæ ad hodiernum cursum facientia reperiuntur satis multa, de aliquibus eorum, præcipuè Tribunalis Lublinensis mentionem faciemus. 1544 *Feria 3tia post Dominicam Cantate* Monasterium Cracoviense PP. Augustinianorum obtinuit reductionem florenorum 10. ad aureos nummos 10. Eodem

dem Anno 1644. *Feria 6ta in crastino Nativitatis Beatissimæ* Xenodochium Cracoviense Templo S. Hedvigis contiguum reductionem cujuslibet marcæ ad florenos 36. Anno 1749. *Feria 6ta post Festum Transfigurationis Domini* Altarista Ecclesiæ Cathedralis Cracoviensis tituli S. Clementis lucratus est reductionem 500. florenorum Hungaricalium ad novem millia florenorum Polonicalium, jam verò 15. marcarum censûs annui, in florenos 630. Anno 1775. *Feria 3tia post Festum S. Martini* in Castro Cracoviensi ex remissione Tribunalis Altarista Ecclesiæ Archi-Presbyteralis obtinuit reductionem florenorum 700. ad 7000. florenorum moderni cursûs. In Galicia quoque (*quæ nunc Orientalis audit*) supremum Tribunal Leopoliense hoc in puncto pro norma habet Decreta in Polonia prolata, nam Anno 1774. *Feria 2da ante Festum S. Matthæi Apostoli* fecit reductionem marcæ (prout exprimit) juxta præscriptum Decreti Tribunalitii Lublinensis Anni 1767. in florenos 40. grossos 15. (b)

Ad

(b) Cùm in moderno rerum Statu præcipua sit numeratio Summarum in Florenis Rhenensibus, non abs re erit innuere, quod hujusmodi Florenus circa Annum 1525 continebat in se grossos Polonicos circiter septem, ùt videre est Vol: 1. Fol: 447. tit: = Rex dabit *Alberto* Duci

Ad cognoscendum antiqniorum cujuslibet Anni monetarum verum internum valorem satis esse videtur, habere præ oculis Leges Regni superiùs allegatas, numerum argenteorum nummorum pro Aureo vel Talero præscribentes: nam quoties per divisionem in Summa antiqua in quantitate numérica illarum specierum sub suo respectivè Anno reperitur Aureus vel Talerus, tot Aurei vel Taleri in specie, aut valor eorum juxta hodiernum cursum in moneta moderna reddi debet. Sed Aurifabrorum quoque experimentum de inevitabili necessitate faciendæ ejusmodi valoris ad valorem comparationis convincere potest, ubi haberi possunt collectiones monetarum antiquarum Poloniæ, quales in aliquot locis Cracoviæ bene ordinatæ reperiuntur.

 Ex

Prussiæ 4000. Florenorum &c. in textu =,, Volentes Illum Nobis & Regno Nostro majori beneficentia devincire, dandum & donandum Illi duximus Annuum Stipendium quatuor millium Florenorum Rhenensium in auro, vel pro singulis aureis 28. grossos integros monetæ & numeri Regni Nostri præsentis. = quæ æstimatio grossorum per Legem adductam in proportione tam ad Florenos Rhenenses, quàm ad aureos nummos clarissimè enuntiata in multis ad præsens casibus suffragari poterit.

Ex allatis autem hucusq; documentis non tantùm oritur necesſitas reductionis antiquæ monetæ in Originalibus Inſcriptionibus expresſæ, sed inſuper eædem rationes evincunt, poſse evenire necesſitatem faciendæ reductionis monetarum jam anteriùs reductarum: nam v. g. qui obtinuit reductionem marcæ Anni 1440. in florenos sub Anno 1620 vel 1650. &c. videtur adhuc habere jus petendi Judicium, ut ipsi denuò florenorum Anni 1620. vel 1650. &c. ad valorem hodiernæ monetæ reductionem faciat. (c)

Quænam autem Judiciaria Jurisdictio maximè propriè habeat poteſtatem faciendi in particularibus casibus ejusmodi reductiones antiquarum monetarum ad valorem hodiernæ? non reperimus in Legibus noſtris *de Foro* hujus materiæ sancitum, nam tantùm de reductionibus in communi propter totum Regnum, qualem aliqua moneta cursum & valorem habere debeat? quis illam legitimè facere, ac promulgare posſit? satis multas Conſtitutiones legimus. Videntur tamen non soli Judiciarii ultimæ inſtantiæ Magiſtratus, sed etiam quævis inferiora subsellia in casibus peculiarium causarum difficultatem de monetarum valore resolvere poſse. Plurima adusq; reductionum Decreta prolata sunt in Tribunalibus Regni, dici tamen poteſt, id factum fuiſse non ideò, quod materia hæc per Legem propriè Tribunalibus subjecta esset, sed potiùs ideo, quia inferiora subsellia ordinariè illam ad Tribunalia remittebant: aſt etiam posſunt oſtendi similium reductionum Decreta, tam in Terreſtribus, quàm in Caſtrensibus Judiciis subsecuta. Ipsummet Tribunal dubitabat antea, utrum se in ejusmodi materiam ingerere queat? siquidem causa inter Conventum Tinecensem & Zabavscium ſuperiùs cum Decreto suo adducta, judicata fuit in Judicio Comitiorum Anno 1641. ex remiſsione Tribunalis, nam eam illuc Tribunal, tanquam quæſtionem novi emergentis remisit, nihilominus quamvis nulla poſterior lex hoc in puncto emanaverit, hodiedum usq; judicabat & judicat Tribunal ejusmodi cauſas. Conſtitutiones in re monetaria sub *Casimiro Jagellonida*, *Joanne Alberto*, & *Alexandro* Regibus sancitæ videntur hoc in puncto exigere invigilantiam Officiorum Capitanealium seu Caſtren-

(c) Cùm novis Legibus regamur, opportunè ac convenienter hoc in loco adduci poteſt Lex ex Codice Civili pro Galicia Occidentali promulgato Parte 3. §. 98. in verbis. =„ Si ſpe„ cies ejusmodi auri argentivè signati am„ pliùs non exiſtat, Debitor pro ratione pon„ deris & pretii ejus intrinseci Creditori sa„ tisfacito„ =

ſtrensium, & quoniam Conſtitutio 1768. quàm rigidiſsimè mandavit observantiam inſtantiarum, quo ad gradus, quatenus nulla causa, quæ in Caſtrensi & Terreſtri Judicio judicata non fuerit; ex cruda Citatione ad Tribunal devolvatur &c. nec Terreſtria, nec Caſtrensia Subsellia dubitare deberent, quôd inductas ad sua Judicia Cauſas pro reductione monetæ antiquæ in Contractu expreſsæ poſſint definitivè resolvere.

Collectio iſta & animadversiones in ea positæ convenienter finem accipere poſsunt in cohortatione celeberrimi Legum noſtrarum Redactoris *Jacobi Przyluscii* tempore *Sigismundi Auguſti* Notarii Terreſtris Cracoviensis libro 4to. Cap. 4. fol. 588. = „ Quocirca Argum eſse Judicem oportet, „ ut & Legi ſcriptæ satisfiat per Eum, & „ si ipsa apertè non adversetur, æquitatem „ sectetur, ne, si in alterutram partem „ vehementer declinet; auſteritate, vel „ remiſsione in Officio integri & sapientis Judicis peccet. =